DIONYSII
PETAVII
AVRELIANENSIS
E SOCIETATE
IESV.



OPERA POETICA.



PARISIIS
Ex officina Nivelliana.
Apud Sebaſtianum Cramoiſy via
Iacobæa, ſub Ciconiis.

M. DC. XX.

Cum Priuilegio Regis.



ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI ANTONIO
Borbonio Comiti Moretao.



Trum maiori tu cũ Fratre Scholis noſtris ornamento ſis, an eæ viciſſim vtrique aliquando futuræ ſint, dubitari(PRINCEPS ILLVSTRISSIME) merito poteſt. Nam & amplum illis ac perhonorificum eſt, ad regiæ ſtirpis inſtitutionem cum Chriſtianiſſimi Regis iudicio eſſe delectas; tùm à vobis ipſis vltrò ac libenter aſcitas: & pro

vtriusque indole facilè conii-ci poteſt, quantum diſciplinâ ſuâ decoris ſint vobis ac ſplendoris allaturæ. Nam quod paucorum opinione, vſu verò propemodũ inueterauit omnium: Nihil admodum Principibus noſtris artes iſtas afferre dignitatis; tam per ſeſe eſt falſum & ineptum, quàm à teipſo, vt de Fratre tuo modo taceam, præclarè ac conſtanter refellitur. Qui quo ex tempore hûc ad nos deductus es, adeò omni curà ac cogitatione ad eas incubuiſti: vt cum & generis ſplendore, & ingenio ſolertiáque æquales anteeas omnes; tùm ſtudio, & amore diſcendi, nauitate, induſtriâ,

diligentiáque ſuperaris. In quo per illud mihi iucundum, & ad indolis tuæ coniecturá egregium videtur : quòd ita omnes Scholaſtici officij partes comprehẽdiſti; vt ad Poëticam vehemens te mentis impetus, atque ardor impelleret. Quod ipſum excellentis in adoleſcentulis ingenij ſpecimen habet: & ſine afflatu quodam, diuináque vi mentibus inſitâ fieri, Platone teſte, non poteſt. Mihi verò ad id, quod iampridem deſtinaueram, ſanè opportunum accidit : vt poſteaquã Illuſtriſſimo Principi, fratri tuo, Metenſium Epiſcopo, Orationes, quod eius Scholæ ordiniſque pro-

prium genus est, obtulissem: tibi eam partem reseruarem: quæ & tyrocinio magis tuo, & inflãmato illi Poëtices studio, ac voluntati congrueret. Sed vtriusque lucubrationis partes variis à me temporibus elaboratas, ac dissipatas; Poeticæ verò etiam sparsim in lucẽ editas, vnum in corpus, sic tanquam ciuitatem ac coloniam, redegi. Quare vti veteres suos quibúsque Coloniis, quorum in tutela essent, Genios attribuisse legimus: sic ego te Poetici huius Operis præsidẽ ac patronum adoptaui. Imò verò quemadmodum in mari periclitantibus fraternum illud ac geminum salutare sidus

esse dicitur: similiter in hac inuidiæ ac maleuolentiæ tempestate; ad quam hodierna ætas incubuit, ad vtrunque mihi, te cum fratre scilicet, cõfugiendum esse duxi. Quorum sicut luce ac splendore collustrari Scholas nostras initiò dixi: sic benigno quodam afflatu meipsum modo contra procellas omnes & iniurias tutum fore magnoperè cõfido.

Illustrissimæ A. T.

Obseruantissimus

DIONYSIVS PETAVIVS
Societatis IESV.

Facultas R. P. *Prouincialis Societatis* IESV.

STEPHANVS CHARLETVS Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Franciæ, potestate ad id mihi facta ab admodum R. P. N. Præposito Generali MVTIO VITELLESCO, facultatem concedo, vt P. DIONYSII PETAVII Societatis nostræ Sacerdotis Orationes, & Opera Poëtica, eruditorum ex eadem Societate nostra virorum iudicio probata, typis excudantur. Datum Parisiis 25. Ianuarii, Anno M DC XX.

STEPHANVS CHARLETVS.

Summa Priuilegii Christianiss. Regis.

LVDOVICI XIII *Franciæ & Nauarræ Regis Christianißimi authoritate concessum est Sebastiano Cramoisy, & Sebastiano Chappelet Bibliopolis Parisiensibus, typis mandare, & venales habere,* P. Dionysii Petauii, è Societate IESV Sacerdotis Orationes, & Opera Poëtica: *aliisque cuiuscunque conditionis interdictum est intra decennium, vt patet in Diplomate regio dato Parisiis, 26. Februarii, 1620.*

Subsignato

RENOVARD.



DIONYSII PETAVII AVRELIANENSIS E SOCIET. IESV

OPERA POETICA.

DE POMPA REGIA, siue

LVDOVICI *XIII. Christianissimi Francorum Regis Processu,*

PANEGYRICVS I.

In Fixensi Magni HENRICI Collegio dictus.



YMPHA *domus custos patriæ, Magnique Parentis*
Deliciæ quondam, tua te, Lodoice, vicissim

Hospita, si vacuum est, si fas adiisse, salutat.
Lætior huic solito facies: qualisque nec antè
Visa tibi (quanquam meritò se læta ferebat)
Cum regni solenne decus, Prætoria tecum
Castra, Palatinásque trahens sub signa cohortes
Oppida lustrasti; nec dedignatus eundo
Parua triumphales ad mœnia tendere gressus,
Officio & certare prior. Sed enim arduus illam
Maiestatis apex, tot circùm horrentia pilis
Agmina, tot lituûm strepitus, & discolor aris
Terruerat latè species: cum pectore Regem
Præcipitẽs; nec qualis eras, sed quantus adire.
Obiiciens animo, nondum explorata paueret
Colloquia, aspectu in primo. Quippe ætheris alt
Sũma premens Titan, nulláq. à nube refractu
Insuetos hebetat visus: sensimque receptis
Innocuus radiis trepidantia lumina mulcet.
Sic perculsa noua subeuntis imagine regni
Obstupuit primùm, vixque eluctata resoluit
Ora, prior dum tu pompa referente triumphũ
Ingrederis. Nunc illa suis successibus audax,
Præsentémque experta cupit: corámque videre
Ardet inexpletum, sed nec minùs ipsa videri.
Quippe memor, qua tu facilis pietate, quibusve
Solicitam, & tanti trepidam formidine cœpti
Erigis alloquiis. Medio stat pectore fixus
Frontis honos, roseæque decor ceruicis, & ora,

Ora Dei specie, patriísque micantia signis:
Eminùs & gemino radiantes sidere ocelli;
Quæque alia aut in te formam expressura Parentis
Congeßit natura fauens, atque vbere largo
Indidit: aut vsu, studióque adscita superbos
Conciliant populos, & colla ferocia subdunt.
Publicus hinc flammatus amor: hinc certa perenni
Imperio sancita fides, adstrictáque regni
Vincula, Trinacrij nexu potiora Tyranni.
Nam neq; opes Regũ validæ, nec flaua metalli
Pondera cana situ multo, latebrísque reposta;
Non lateri affusus custos, non peruia nulli
Limina, non acies campo, non æquore classes
Disposita tanto sceptrum munimine firmant,
Quantum animis illapsa pij concordia sensus,
Nec pretio Rectoris amor, fictísve redemptus,
Blanditiis, sed sponte Deo impellente paratus.
Certè aliàs Regum non vllus amantior olim,
Regibus inque vicem populus dilectior ibat
Francigenis: nulli melius per mutua norant
Obsequia hinc gnatos, atque hinc præbere parentes.
Prisca licet Macedûm iactentur regna: vel ortu
Solis Achamenius, primóque afflatus Eoo:
Cui Superum haud dispar quondam, Regísque colendi

Relligio, amborūque sacris coniuncta potestas.
Atnon hic sese Francis æquauerit ardor.
Nec quacunque vagis anfractibus vtraque terras
Tethys Erythræis lustrans à Gadibus arcet,
Vlla suū nostro in Dominos contendat amorē.
Nec tamen hic idem in tete consuetus oberrat
Mentibus: at feruens, crebrísque accessibus auctus
Crescit in immensum, solitóque potentior ardet.
Nēpe (fatebor enim) magni post condita Regni
Auspicia, & Frācos peregrina in sede receptos:
Ex quo Romuleæ perrupto limite gentis
Teutonicas acies crinitus, & agmina Princeps
Transtulit, ac Rheni præter vaga flumina traxit,
Tempus ad hoc nullus, tot Regum ex ordine, vixit
Charior, aut tanto populi dilectus amore.
Nec dubiis manifesta dedit suffragia signis.
Ecce moræ impatiens, laxique cupidine tactus
Aetheris, atq. Vrbis paulū pertæsus, & Aulæ,
Heu nimiū optatos! sacris penetralibus effers,
Sic regno poscente, gradus. Exinde potentis
Imperij opportuna legens, vt quæque trahebāt
Aduentu recreanda tuo, cum Matre verenda
Ingrederis: pacémque viris & gaudia, belli
Discusso terrore, refers. Sic imbre madentes

Post Hyadas, densisque obductam nubibus æthram,
Emicat, & sudam retegit Sol igneus orbem.
Prò quã grata tuis placidæ spectacula pompæ!
Quam læti fluxere dies! Quo te obuia plausu
Nobilitas! ciuis quo circumfusus ouantem
Cõcursu fremitúq. capit! Quibus oppida passim
Ardebant studiis! cùm te sublimis, & auro
Instratus, tantóque ferox vectore per vrbes
Bæticus inferret sonipes; currúve sedentem
Arrecta niuei traherent ceruice iugales!
Delecti proceres, Aulæ pars maxima, circùm
Frænatis tendunt in equis; Regníque Senatus
Sanctior, arcani quibus est commissa potestas.
Tum pilata cohors, pictis comitatus in armis
Bellicus anteuolat, florentésque ære manipli.
Ipse inter cunctos, medium cingente corona,
Arduus incedens, cunctis formosior ibas.
Qualiter, obscuræ sub prima crepuscula lucis,
Candidus exoritur cælo, tenebrásque repellit
Lucifer ante alios mundi spectabilis ignes.
Talis ab Aurora, domitóq. Oriente regressus,
Pampineóque regens virgatas verbere Tigres
Mæonios Liber populos, atque arua pererrat
Lydia, maternóque insignes funere Thebas.
Illum tincta croco, & Melibœo murice cingit
Vestis, Hydaspeos auro intexente lapillos.
At quocunq; leuem permiserit æquore currũ,

Circûm omnis lasciuit humus, dehinc vitea spargit
Brachia: tùm liquidi musto decurrere fontes.
Hinc atq. hinc crines hedera pendēte reuincta
Bassarides, Satyrique fremunt: pulsúque Cytharon
Eminùs, aut celsi resonant deuexa Timoli.
Haud aliter se pōpa Ducē comitata ferebat,
Finitimas acuens gratis rumoribus vrbes.
Exin turba frequens, nullo discrimine raptim
Tendere in occursum, & viduatis mœnibus omnis
Vnà ætas ruere, ac totis efferuēre portis.
Mista virum, matrumque manus, simul innuba proles
Defixis inhiant oculis, vt crine decorum
Assurgat caput; inque genas vt lacteus ostro
Lentescat fallente nitor: quàm blandus ocellos
Torqueat; vt celsi candentia terga fatigans
Cornipedis habiles pulcrè consurgat in artus
Mirantur, puerísque ostentant singula matres.
Nec vidisse sat est: iterúmque iterúmque propinquant
Visendi studio. Labor est inhibere ruentes,
Molirique viam, & turbâ defendere Regem.
Hæc dum prospectant resides: dum vulgus inermum [hæret,
Pascitur, atque oculis per cuncta vagantibus

Procedunt Iuuenes. It bellis vtilis ætas.
Pars eques ingreditur, seseque ostentat in auro;
Puniceâ gaudẽs chlamyde, & radiãtibus armis.
Auro strata rigẽt, fræna aurea, & aureus ensem
Balteus à tergo bulla gemmante coërcet.
Pars pedes in galea, & fuluo thorace coruscans
Progreditur duplici versu: grauat ærea læuam
Fistula, quâ curuũ capulus sinuatur in arcum.
Hi teretes contos, & longa hastilia crispant;
Inclinant ve humeris: cuncti sua signa sequẽtes
Agmine procedunt. Telorum ferrea latè
Horrescit seges; atque aduerso Sole renidens
Æris inardescit, fluitátque per aëra fulgor.
Icta gemit tellus: tum denso puluere nubes
Atra pedum pulsu, campoque volubilis errat.
Inde vbi iam visi propiùs succedere muris,
Martius extẽplò canor insonat: vndique rauco
Aera fremunt strepitu, cæliq. imitata fragores
Horrificas tormenta vomunt per inania flammas.
Intrà autẽ, quacunq; gradus, & lumina flectit,
Lætior occurrit species. Hinc tecta, sacrasque
Fronde domos viridi, atque obtentu vestis inumbrant.
Hortorum hîc calcantur opes, sertóque recenti
Subter humus cõgesta, & odoris floribus halat.
Plurima perque vias, & sicubi laxior vrbis
Area, tẽplorúmque aditus, extructa sub auras

Pegmata consurgunt: arquatáque fornice picto
Materies longis operum contextibus ora
Detinet. Hîc acies descriptáque bella morantur
Borbonidum. Hîc magni effigies, aut facta Parentis,
Longa operũ series: seu victa potentibus armis
Mœnia; seu campis hostem disiecit apertis.
Hîc habitu referens Martem, toruúsque videri:
Hîc placidus, vultúq; suo. Iuxtâ aurea proles
Coniuge cum casta. Per tot monimenta fluentis
Lætitiæ, tot signa animi, tot publica amoris
Pignora deductam capiunt Prætoria pompam.
Hîc verò hîc maior populi concursus ad alta
Limina: pérque fores, & longa per atria præceps
Nimbus agit sese. Nec iam cohibere satelles
Sufficit: infusam capiunt penetralia plebem.
Nec verò asperior miles; nec fuste ruentes
Summouet, aut ferrum intentans subeuntibus obstat.
Sed pius, & longo Domini mansuetus ab vsu
Et vinci se gaudet, & vltrô à limine cedit.
Ipse manu admissos Iuuenis, nutúque repelli
Haud sinit: ipse aditum propiûs cunctantibus offert.
Nec rudis interea vulgi importuna fatigat
Offensum pietas. Macti ô clarissima Regum
Nomina! Francigenæ Heroës, quos læta tulere
Sæcula! qui cultũ hunc primi, morémq; dedistis

Regibus, acceptum vestri coluere nepotes.
Sic regere imperio faciles, sic libera colla
Ciuili mulcere iugo, sic flectere mentes,
Inque animos dare iura licet, non corpora tantùm,
Ceu pecudũ genus, aut pretio exercere redẽptos;
His alios ritus, alienaque iura capessant
Barbarici reges: aut Bistonis Aula Tyranni:
Aut Arabum Arsacidúmque Duces: aut accola Moschi
Sarmata: vel Scythici prater iuga sparsus Imaui
Tartarus: extremoque Sinæ procul orbe iacẽtes.
Aut Mogorum, Æthiopúmve genus. Tum si quis ad Austrum
Guineo pratenta sinu tenet arua Beninus.
Quem liquidi expertem potus, neque frugis egentem
Credula fert gentis pietas, & Numinis instar
Prosequitur votis, tecto interiore repostum.
Vsque adeo spectare nefas, aut prodere luci.
Ergo illi in tenebris vitam, solísque fatigent
Ædibus infossi. Non hos plebeia tueri
Lumina: vix ipsæ possint spectare latentem
Excubiæ: nec cui metuat, seruetque satelles
Norit, cui vigiles soleat traducere noctes.
Hic velut in cauea clausus, pinguíque polẽta
Attilis, & dapibus gliscens genialibus anser.

Aut velut in stabulis satura ad præsepia grãdis
Victima, non alios proni quàm ventris ad vsus
Pascitur infelix, & obeso corpore serpit,
Fœmineas inter doctus reptare catervas,
Communemque odisse diem, nisi si qua videndi
Tempora, descriptęque vices, voluẽtibus annis,
Extulerint. Qualis rimosi parietis antro
Ocyus ad Solem tergo squallente lacertus
Emicuit, raptimque cauo caput abdidit arcto.
Ac velut obscura sub nocte volantia sulcos
Sidera, vel rari crinem traxere Cometæ,
Prodigiumque ferunt. Sic non impune tueri,
Nec nullo terrore datum est, quos illa latendi
Degener ambitio tacitis penetralibus abdit.
At non ille Polum vitæq; & luminis author
Rarus obit Titan: spatio sed lætus eodem
Voluitur axe super medio; quo limite currens
Omnia prospectat toto spectabilis orbe.
Hanc sese ad speciem Princeps, populique magister
Temperet, & posito vulgi consortia fastu
Quondam etiam admittat. Nec si vulgata potestas
Se facilem mitemque dabit, decedere quidquã
Sentiet, imò amplum titulis accrescere nomen;
Et quocunque volet populos transire sequaces.
Sic magni creuêre Duces, quos Roma triũphis
Inclyta, vel Danaũ tellus, vel Barbara si quos

Extulit egregios meritis: quorum iisse per ora
Cernimus, & latè mundo increbrescere nomen.
Atque alius saeuos aciem dū vertit in hostes,
Primus inire viam; saltusque aperire bipenni:
Praetentare lacus dubios: transire natatu
Flumina: nunc saltu fossas: nunc ardua cursu
Exuperare prior: fallentes rumpere crustas:
Aut gressu signare niues: offerre pruinis
Intectum caput: armorum sub mole grauari:
Tela manu: vallúmque pedes portare: manúque
Moliri clypeum: nec iniquo pondere faces
Detrectare humeris: nec seciùs aggere iacto
Castra parare manu, atq; altè demittere sulcos,
Castrensi gaudere cibo. Ciuilibus alter
Intentus studiis miseris dare iura: querelas
Excipere, ac turbae sese miscere clientum.
Alter acerba pati facilis conuicia: nec se
Legibus vlcisci, aut comitum vibrare secures.
Quadriiugis hic vectus equis, cultuq; superbus
Regifico agrestis non munera parua coloni,
Atque cauis haustam manibus de gurgite lympham
Abnuit. Haud tales gentis maiorque Tyrānus
Et minor Aetnaea: qui vel diffidere proli,
Nec ferro tondere comas, villósaque menta;
Sed leuibus flammis, & cortice glandis obusta
Stringere: non alius, qui cum custode Molosso
Alta inter tabulata, ipsoque in culmine tecti:

Pendentem nidum, & latebrosa cubilia fixit.
Quò sine nec scalis aditus, nec scandere quisquã
Roboris obtentu, & iunctæ trabis obyce posset.
Vel qui, dum gemini dinortia littoris audet
Iungere, Phryxæo pontem indignante profũdo,
Tercentum secuit Neptunia terga flagellis
Demens: & pelagi Diuos in bella poposcit.
Ergo illi exortes vitæ, nec lucis eodem
Munere dignãtur vesci, aut cõmunibus auris.
Nec fauor hos turbæ tangit, populique minoris
Gratia, quem solo mos est censere tributo.
In foribus, primóque ingens in limine terror,
Pœnarúmque minæ, faciesque asperrima mortis
Carceris in tetri speciẽ, aut squallentis Auerni.
Inde horenda situ, latéque silentia circũm
Excipiunt spatia. Haud cuiquam penetrare facultas.
Vel si cunque datur; si fors patuere vocatis:
Hastati circunsistunt, trepidosque morantur,
Teláque vestigant. Manet ille, & inertia ducit
Otia secessu in vasto. Ceu belua multa
Cæde hominum, pecudumque nocens, terrore per orbem
Septa suo, procul aut immani procubat antro;
Aut desolatis iam sola in saltibus errat.
Diffugiunt, propiusque timent contingere gressu.
Tale sub ardenti Pastor Neptunius Ætna

Horrenda penetrale domus, cæcosque tenebat
Deformi squallore lares; aut accola rupis
Cacus Auentinæ. Circum hos infrà q; supraque
Fixa virûm capita, & turpi manantia tabo,
Hîc tellus sanie concreta, atque imbre rubescit
Sanguineo: ast illîc proiectis ossibus albet.
Deserta haud aliter latebræ, ignotiq; recessus
Lucifugo Regi, similique horrore coluntur,
Vrbis inaccessi populo. Sic atria longè
Mœsta silent. At non hæc olim exempla secuti.
Queis genus, & stirpem egregiam, aut felicia debes
Sceptra. Sed ante alios, quorũ tibi moribus illis
Fatale impositum est nomen. Cui maximus Heros
Cœlicolum adscriptus numero, templísque sacratus?
Aut populi nõ dictus Amor, cui proximo retro
Nominis est à te series, decimúsque mereris
Tertius ex illo Fastos augere priores?
Quem tuus ille latet genitor? Quo pectore Regum
Altius insedit pietas? Quis culmine ab alto
Cedere? Quis cultius melior descendere ad imos,
Et se velle parem cunctis? Quis suauior illo
Alternos miscere iocos? Quis mitior vnquam?
Charior aut patriæ Princeps? Hoc Magnus ab vno

Audiet æternùm, clari cognominis hæres:
Quod neque Pellæo Iuueni, nec Cæsaris olim
Iustiûs adscriptum est genero. Namque ille subactæ
Persidis & belli partum sudore, cruentis
Cædibus hunc demum tituli fœdauit honorem.
Huic patriæ clades, pollutaque cæde suorum
Dextra dedit, sociusque cruor: tū vindice Sylla
Vel meruisse nefas. Non hoc Mauortia bella
HENRICO peperere decus. Quanquam illa fuere
Qualia nec mendax ausit finxisse vetustas.
Mille acies campo: totidem sub mœnibus actæ.
Prostrataque vrbes in terram: auditaque lōgè
Fulmina cum fremitu raptas torquētia turres.
Sed laudis seges ista minor maiore triumpho
Vincitur. Hanc meriti mercedem, hæc præmia tanti
Nominis Actææ laurus concedit oliuæ.
Tu quoque Diuorum soboles! fatóque paterni
Sāguinis, & cultu, primisq. edoctus ab annis,
Hæc sequere, hos animis vitæque inolescere mores
Paulatim patere, & vestigia nota frequenta.
Nec verò monitoris eges, vocisque magistræ.
Nec tibi se quisquam veterum (modô suppetat ætas.
Longior) hac olim certet contendere laude.

Tãtus in ore decor, placidiq; modestia vultus.
Et vox affatu facilis; frontisque serenæ
Certa fides. Puro qualis nitor æthere fulget;
Gemmaque quæ fuluo radians intexitur auro.
Aut ebur, aut Pario marmor de mõte recisum.
Non rigor in facie, toruique iniuria fastus.
Nulla supercilij nubes: non dextera torpet,
Linguáque reddendæ officium cunctata salutis
Adde animos flecti dociles, quocunq. regentũ
Consilia, aut castæ traheret reuerentia Matris.
Adde quòd his studiis, & ad has tractabilis artes.
Prima rudimentis præstructa est mollibus ætas.
Hoc erat, à primis quòd adhuc vagitibus infans.
Non vitam enerui luxu curísque trahebas
Mollibus, expertémque operis, vel desidis Aulæ
Parietibus septã: quòd raptus ab vbere, nondũ
Greßibus explicitis, nec se soluente loquela,
Inter equos, atque arma puer, strepitúsque tubarum,
Ensésque, clypeósque, atque ære micantia tela
Discebas, bellique inter reptare sonores.
Quòd nemore vrbano, quòd aprico in gramine currens,
Laxáque per campi spatia, aut viridantibus hortis
Mille modis Martem, simulatáque bella ciebas,

Haud ignota mihi, atq. alio iã carmine dicta.
Hoc erat hoc, quòd te paßim spectare licebat.
Ludere quòd tecũ miles, quòd cernere vulgus
Aedibus immissum: quòd eo plaudente solebas
Insultare in equo, crebróque lacessere flexu
Spumantẽ, & patulis efflantem naribus ignes.
Aut procul & iaculo certare, & cominùs ense.
Spiculáque ad metam, aut glandes torquere sonoras.
Quódque absente fores, quàm te præsente reclusa
Parciùs, admißique tua in cœnacula paßim
Intersunt epulis, oculósque per omnia ducunt.
Ergo alacris te te populi, te militis ardens
Ambit amor. De te regni pars vtraque certat:
Vtraque iam stabili gaudet se fœdere iungi.
O bene concordes! ô nullis cognita sæclis
Tempora! cùm partes sese diffundit in ambas
Aurea pax: quam non leges, non tristia cogunt
Vincula: sed mores, Dominique exempla tuentur.
Vidimus hoc nuper: Pompa gradiente per arua
Bellicus vt tacitis latè stipator in armis
Innocuũ properaret iter. Non damna colonus
Vlla sui passus pecoris. (Quid enim oppida dicam
Nullius vexata manu?) Non rapta supellex.

Non detrita seges campo : tutique per agros
Errauere greges : nil rauca cortis alumnis
Defuit. Arma inter securus, & agmina pastor
Pars quoque spectantum est : turmisque immistus oberrat:
Hospitióque capit lætus. Non rustica gaza,
Nec paruæ infodiuntur opes. Nil triste secutũ.
At priùs, ærata quoties, seu Martis ad vsum
Processere manus, seu quò fortuna vocaret,
Quale iter, ô superi! quanto terrore profectæ!
Vtque sub æstatem mediam, cùm lactea turget
In stipulam messis: segetúmque natãtibus aruis
Culmina inhorrescunt, suspirantque horrea fruges,
Sicubi fœta vndis, vel densa grandine nubes
Nigrantem cogi in cumulum, ac descendere visa est
Paulatim ad terras, piceoque volumine ferri:
Heu quibus incumbet campis! vbi pondera ponet!
Arrecti circumspectant, trepidantiáque haurit
Corda pauor. Tum præcipiti formidine pastor
Sparsa ciet pecora, & crebris latratibus vrgens
Rupe sub exesa, patulaque sub arbore cogit.
Illa cadens magnamque satis, magnamque tenellis
Dat stragem arboribus, & spes interficit anni.

Non minus armatæ steterant qua parte cohortes;
Aut vbi rauca sonans fremeret tuba; protinus omnes
Saxa per, & montes, nemorũque per auia ferri,
Vasáque cõportare humeris, aut condere terra.
Diripere interea miles quod cuique relictum;
Igne cremare domos, prędãque auertere tectis.
Non ita Borbonidum in castris; solisque tremenda
Hostibus it dispar linguaque habitúque iuuentus;
Par ducis obsequio; studióque simillima recti.
Vt quacunque ambo tulerint vestigia, credas
Hos fratres, illum Populi aduenisse Parentem.
Hinc illæ audiri voces, & vota precantum,
Non aliâs sincera magis. Pars longius æui
Metiri spatium, & Pyliis transmittere sæclis
Egregium Iuuenem. Pars haud incerta futuri
Optat Auo similem. Pars in decora alta Parentis,
Ingentesque animos, & non imitabile robur
Mittit. Opes alius Regni ad tutamen habẽdas.
Hic vouet Imperij fines, quos fluctus vtrinque
Alluit Oceani: quacunque Oriente refusus
Prima videt Titan, & qua postrema relinquit.
Non eadem cuncti cupiunt: tamen vna petendi

Mensura est, quod quisque animis ardentibus amplum
Extremúmque putat. Sed quanquam ingentia: quamuis
Anxia certatim populi tibi vota laborent,
Vincuntur studiis: nec qui capit illa, tuorum
Se capit affectus. Nil iam superesse quod optet
Exundãs queritur. Nam quo sese ipse fatigans
It magis, exuperat magis, atq; accrescit eundo.
O pater! ô Regum sator, & sate sanguine Regum!
Maxime Francorum Princeps! quo nulla priorem
Sæcula: pauca dabunt animo manibúsque secundum.
Cui nihil ex tanto Superúmque hominúmque fauore
Amplius accessit; nec habet tua gloria maius,
Quã quòd progenies talis tibi munere Diuum
Contigit, haud genitori impar: sed nomine claro
Quæ Proauum referens, & te virtute referret.
Quis tibi tunc (æui spatium si fata dedissent)
Talia cernenti sensúsque animúsque fuisset?
O vtinam populíque tui spectator adesses,
Et sobolis! nec te nostro prius æthere cassum
Amborum ex oculis mors immatura tulisset!
Quanquam aderas, & te melior seu Regia Diuum

Orbe tenet medio cœli, quâ noctibus æquo
Libra diem spatio, & Soles compensat iniquos:
Seu Phœbi superare vias, Mundique tenere
Ardua concessum est, geminas vbi lubricus Arctos
Diuidit, & circũ in spiras cõuoluitur Anguis.
Vnde tuos lustras propiori sidere Gallos:
Non te lætitiæ exortem solennia chari
Pignoris, & populi plausus latuere secundi.
Vidisti, & pariter tecum longo ordine Franci
Indigetes, tua queis peperit consortia virtus.
Ipsum incedentem latè, cultúque decorum
Insigni, proceres inter: se fundere totis
Mœnibus, & magnas occurrere cominùs vrbes.
Impleri campos, fremere omnem murmure læto
Cæruleum Ligerim, quo non felicior alter,
His regni auspiciis melioris, & omine tanto,
In mare Francigenum per culta reuoluitur amnis.

Quod si aliâs tanti potuit latuisse triumphi
Gloria: tunc certè, tua cum delubra subiret,
Agnosti prolem genitor: neque fida fefellit
Tot tibi natorum consors, dignata potenti
Connubio, tua cui debet post fata salutem
Imperium, & cara per tot discrimina stirpis
Intemeratus honos. Nam quæ tibi gratior vsquam,

Quáq; magis ſancti cupiant conſiſtere Manes,
Quã quæ prima tui meruit cunabula quondã
Sacra Deo ſedes, magnique ingentia Cordis
Pignora felici gaudens complectitur vrna?
Hic amor; hoc ſtudium: ſera hæc & maxima viuo
Antè fuit, ſequiturq. eadem poſt fata voluptas.
Ergo iter aduentúmq. piæ cum Cõiuge Prolis
Senſerat HENRICVS. *Quanquam monimenta doloris*
Illa ſui aſpicere, aut ſacros intrare receſſus
Suſtinuit neuter. Manet alto in pectore fixum
Vulnus adhuc, nimióq. timet crudeſcere luctu.
Senſerat ille tamen. Quin & migrantib. Heros
Hanc prior iniecit mentem, paulúmque ſubegit
Flectere iter, noſtriſque aduertere mœnibus agmen.
Ille & cunctantem ſæpe, & diuerſa parantem
(Nam quis ad has ventura vnquam tot millia ſedes
Crederet, aut parua poſſet ſtabulare ſub vrbe?)
Aggreditur Matrẽ extimulãs: nec ſecius inſtat
Flagranti Puero; Fixámque requirere, Fixam
Suſpirare diu iuuenili ardore ſuburget.
Ventum erat ad Fixam. Teneros hortator alumnos
Idẽ agit: idem acres ſub pectore concutit ignes;
Aduentuq. parat; ſolitáſque accingit ad artes.

PANEGYRICVS II.

Quo Fixenſes Magni HENRICI Scholæ, quæque ibidem geſta, deſcribuntur.



ACTENVS armorum ſtrepitus, Mauortiáque ara,
Tympanáque, & ſæuis tormenta ſonantia flammis:
Effuſæque acies, & fulguris inſtar ahena
Luce renidentes ſubeuntem ad mœnia paßim
Excepere viri. Quin & puerile ſub armis,
Quâ Ligeris celſas Turonũ prælabitur arces,
Delicias regni, hortorúmque vbere lætas,
Agmen in occurſum portis ſe effudit apertis.
Quingenti in turmas pueri, ſua quiſque ſecuti
Signa, pares habitu veſtiſq. & corporis ibant.
Spicula lentantur dextris, humeróve recurui
Incumbunt tubuli. Sed enim tibi pacis alumno
Armorum exhauſtum ſatis eſt. Sat Gorgone ſæua
Bellica præluſit virgo. Spectacula, Princeps!
Palladis armata nondum tua tempora poſcunt.
Ergo eadem alterius ſpecimen tibi comparat artis.

Iam comites quærit Musas. Namque ipse morantes
Arcitenẽs plectro pater increpat. Ocyùs omnes
Approperant, Regémque suum, sua tecta remisunt,
Vrbe ab Aquitana reduces, templóque minori.
(Hîc quoque Diuarum est sedes: vbi Pictonis agri
Clanius humectat felicia culta, priusquam
Ore Vienna tuo Creusæ se misceat vndis)
Illinc Borbonias properè Chorus omnis ad ædes
Emicat Aonidum. Vos me per cuncta parãtem
Ire, Deæ! sacrasque domos, operosáque Templa,
Borbonio fundata Duci, & quæ dignà paternis
Hospitiis tantus spectacula viderit hæres,
Carmine tentantem venientibus edere sæclis
Ducite Pierides. Quà septem obuersa Trioni
Flexia vicinos à tergo prospicit Andes,
Vrbe sub extrema locus est paruique propinquus
Mœnibus Axem inter gelidum, Caurósque recedit,
HENRICI *domus. Hanc prisco de sanguine Regum*
Vindocini coluere Duces: quibus alta Pyrenes
Sub iuga finitimus cum Vascone cessit Ibero
Cantaber: & primo lapsum qui fonte Garũnam,

Excipiens claudit Volcæ confinia Flustas.
Illîc bellipotens, & eadem à stirpe parentum
Et satus, & primis quondam nutritus ab annis
Ipse lares Phœbo patrios, sedésque sacrauit
Antiquas, spatiisque Heros ingentibus auxit.
Imposuitque viros, certo qui fœdere Templi
Custodes, puerûmq. forêt, operúmque magistri.
Primus ab ingressu subitô prospectus in arces
Borbonidum antiquas: veteri quâ condita saxo
Tectorum assurgit moles; laxúmque fenestræ
Solibus æstiuis iter ad penetralia pandunt:
Seu latere impressæ medio; seu culminis alti
Supposita dorso fastigia celsa coronant.
Fonde virent circûm patula, tectique sub imis
Parietibus densæ præbent vmbracula ficus.
Inde minor spargit fruticantes Punica ramos.
Frontis ab aduerso facies gratissima; qualem
Ingens ex aditu, spatioque effusa per amplum
Area ab vrbe domum primô subeũtibus offert.
Flectitur hac læuâ interior. Mox altera rursum
Atria partitis capiunt transuersa Trichoris.
Musarum hic sedes: sectoque cubilia saxo,
Fornice tecta super, casta notissima pubi
Limina. Mollis vbi, & primæuo flore per artes
Fingitur. Ad dextram gradibus patet ampla reflexis
Ianua: quâ geminam via fert accliuis ad aulam.

Sanctior

Sanctior hæc longe statio. Qua parte sinistra
Cernitur, hîc Tripodũ sortes, cortináq. Phœbi,
Arduus vnde sedens Superũm responsa, Deiq.
Consilia Interpres referat. Discrimine paruo
Itur in aduersum limen, sacrósque recessus,
Numine terribiles multo, & cœlestibus aris.
Has Deus, has sedes habitat Deus. Insuper ipsi
Optauere locum Reges; qui fœdere iuncto
Dextra aram læuáque tenent; inde acer in armis
Carolus: hinc pietate prior, neque Marte secundus, [*ducunt*
Bisque Arabũ domitor. Genus à quo Principe
Borbonij Heroës: Quorum qui maximus, ingens
Occupat à læua spatium, & supereminet ambos.
Parua vbi tantisper magni sacraria Cordis,
Secretíque lares: donec manus vltima templo
Accedat: cœptíque operis fastigia surgant:
Quâ latus oppositum brumali tunditur Afro.
Quo te digna loco (si quid, Pater optime! dignum
Esse potest) delubra tuus iam destinat hæres.
Et iam parietibus positis stat desuper ingens
Materies; trabibúsque horret silua ardua quernis.
Sectilis in dorsum curuata cacumine nigra

Comprēdit tabulata lapis. Pars imbribus atris
Perpluitur pridem, tepidoque madescit ab Austro
Interruptus apex. Tum qui defendere possent
Area fornicibus nōdum est obducta supernis.
Ille tibi seruatus honos, Lodoïce, paternos
Sedibus vt Manes propriis atque aggere cōdas
Perpetuo: molémque suam, sua præmia norint.
Porticus à tergo Solem transuersa cadentem
Respicit. Hæ Templi fauces; & peruia passim
Limina tectorū inter se. Quâ se omnis ab vrbe
Ædibus immittit Musis operata iuuentus;
Æra vbi concrepuere: ruítque effusa vicissim,
Fluminis in morem, alternóque refūditur æstu.
Hâc iter ad sedem est, & quæ pulcerrima visu
Regia conclusos septis moderatur Alumnos.
Rarum opus; ingenio vatísque & carmine maius.
Quatuor hîc primùm in partes distincta domorum
Culmina decliui tolluntur in aëra dorso.
Hæc circùm. In medio caueæ diffusa patentis
Planities. Talem poteras dixisse Theatri
Effigiem, aut spatiis Circensibus, aut vbi cæde
Pinguis arena rubet: nisi vel sinuata coïrent
In quadrum latera; aut plumbi libramine iusto
Directas ab humo totidem ad fastigia tecti
Obiiceret facies: nec per deuexa supinus

Cresceret ad summum paries. Latera omnia surgunt
Ordine tectorũ triplici. Sua cuique per orbem
Peruia transmittunt liquidos specularia Soles.
Vndique membrorum solida cõpage, quaternis
Flexibus inserta iungunt discrimina turres.
Saxeáque ad summum gradibus via secta recurris.
Talis erat moles, Genitor quam maximus Vrbi
Addidit; inque Foro positam fundauit Equestri:
Si non porticibus circũm interrupta cauatis
Ima forent. Nam nostra canos neque sustinet arcus.
Et nisi quâ foribus laxatur, in aëra surgit
Pariete perpetuo. Tales tibi, Phœbe, penates.
Henrici pietas, & nulli æquanda tuorum
Contulit hospitia. Hîc doctas habitare Sorores,
Séque, suósque adeò voluit. Queis Regia postquam
Successit Magni soboles Patris: intremere omnis
Protinus ex adytis, magnoque horrore moueri
Visa domus: subitóque afflatu numinis ardens
Pectoribus iuuenum calor incidit. Vnde repẽte
Emicuêre alacres: fremitúmque per atria voluunt:

Expediúntque manus. Opere ingẽs area feruet.
Vndique collucere domus: non veſtis, & auri
Fulgure: non Phrygio luxu: neque ditis Eoi
Vellere: non ebore, aut ſculpti ſplendore metalli.
Ingenij labor omnis erat: dignúmque Camœnis
Munus Apollineæ fulgebant vndique chartæ,
Suffixæ medio in ſpatio: quà ſepta tabellis
Semita per plenum latè interfuſa cucurrit.
Intendunt alij ramos, feſtáque coronant
Fronde locum. Hic dubia, aut viſis fallentia
fictis
Ludit imaginibus. Primo ſub limine Regem
Admittunt alij: Phœbóque afflata ſalutem
Ora canunt ſubitò variis reſonantia linguis.
Naiades excipiunt: & quæ vel iuſſa ſubiret
Gurgite depreſſo, vel iuſſa recederet vnda.
Parte alia rupes educto vertice in auras,
Scrupea, Parnaſsi effigie: cui turba Sororum
Deſuper & cithara venientem & carmine
mulcet.
Inde alij, rurſúmque alij: nec finis: &
altum
Iam nemus, ingentéſque gradum molitur ad
Hortos.
Proxima vtriſque domus, Boream inter, &
vltima Solis
Lumina. Sed tenui currens interfluit alueo
Lœrius. Impoſito pereunt diſcrimina ponte.

Hortus ab aprico (primum hûc via secta)
minorem.
Desinit in siluam, & molli prætexitur vmbra.
Numen habere locum memorant. Nam maximus illîc
Borbonides primis fertur lusisse sub annis,
Et viridi insultasse solo, cùm fortia bella
Disceret, & ficta tentaret imagine Martem.
Et nunc seruat adhuc tenuis vestigia cliuus,
Crate sub arborea modicum laxatus in orbem.
Vnde puer paruos simulatis mœnibus hostes
Proturbare, vel obsessos agitare solebat.
Præterit, & longè cunabula Patris adorans
Læua petit gnatus. Læuam densissimus vmbra
Lucus habet, multa quem relligione sacratum,
Intactúmque ferunt. Neque enim violare bipenni,
Aut teneros fas est defringere ab arbore ramos,
Plurima quæ læto viridatem gramine subter
Ambit humum, densæque obiectu frondis opacat.
Hic Satyris locus, & statio tutissima Nymphis,
Quæque alia in siluis, campisque virentibus errant
Numina. Quippe illîc passim atque impunè vagantur.

Tum quoque cum ſeſe Proles pulcerrima luci
Intulit, & ſub qua quodam Pater arbore ſedit:
(Fagus erat patulo ramorũ tegmine obumbrãs)
Agreſtes venere Dei, Dominúmque potentem,
Et Dominã affati rudibus cecinere Camœnis.
Et cœtu cinxere ſolum, choreaſque dedere,
Frondibus hirſuti arboreis, clauámq. gerentes.
Contra autem nemorum Cuſtos, nemoríſque Sorores
Tela tenent, arcúmque manu, humeráque pharetram.
Nec mora: fit ſtrepitus: concuritur: & noua pugnæ
In numerum ſimulacra cient: nunc tela minaces
Obnixíque ferunt: nunc terga fugacia monſtrant,
Curſibus impliciti alternis. Sonat auia longè
Silua pedum pulſu, atque offenſæ murmure vocis.
Venit & armipotens Virgo, & Cyllenide natus
Aliger: & longa vatum ſtipante corona
Delius. Hos inter cithara Rhodopeius Orpheus
Perſonat: impulſæ mouere cacumina quercus:
Scena dehinc Regi, Solymæáque bella, necíſque
Virgineæ, & miſeri caſus ſpectatur amantis.
Talibus Henrici ludis, plauſúque Penates

Vndique feruebant. Nec enim comprendere refert
Omnia, nec fas est: non si centena sonarent
Ora mihi. Et verò iusta plus parte laboris
Iampridem exhaustum est. Iuuat insultasse priori
Emeritum campo. Spumantia fræna quadrigis
Detrahere, atque alios liceat spectare ruentes.
Quippe opera ad maiora nouus vocat ordine Vates,
Extremúmque decus: nec iam puerilia pompæ
Fercula: felicis repetita exordia Regni.
Commissásque tibi tandem florentis habenas
Imperij: quæque attonitus spectacula vidit
Sequana. Me placido tutum iuuat æquore ferri.
Nec mihi præcipiti pendet leuis orbita cliuo.

PANEGYRICVS III.

LVDOVICO XIII. Francor. & Nauarræ Regi Christianissimo

In solenni eius inauguratione dictus

In Collegio Remensi Societ. IESV.



VEM lacrymis affusa Deum, precibúsque rogabas
Gallia, magnanimi hæredem genitoris, & ipso
Maiorem genitore, sacras regalis ad aras
Stat Puer, innocuum fragranti tinctus oliuo
Ritè caput, patriúsque gerens insignia regni.
Aspice; quémq. tibi nuper crudele Parentis
Attulit exitium, aut penitus deterge dolorem,
Aut plausu solare nouo. Sat numinis iræ
Supplicij expensum est: satis ô satis aspera rebus
Fata tuis capite vnius, lethóque piasti
Principis: Hac vidisse tenus contagia nostri
Criminis, & Superûm liceat sensisse furorem.
Reddita lux rebus melior. Te prima retexent
Auspice secla, Puer, triplicis concordia Diuæ
Stamina: nil Saturne tuo, vel Iuppiter, æuo

Defuerit. Qualis Carlo sub Principe quondam
Læta parens, geminâque caput radiata corona
Gentibus imperium latè, pacémque subactis
Intulit: aut qualis Lodoico Rege profectas
Sedibus ipsa suis Orientis ad vltima vidit
Innumeras properare acies, quibus vnica molis
Tantæ cura fuit nostræ monimenta salutis
Seruitio eripere, & cultus abolere nefandos.
Tale nouo sub Rege decus tibi, Gallia, talis
Instaurandus honos: vel si hæc leuiora putantur,
Nec spe digna tua, (sineret manus improba) qualis
Magnanimo sub Patre fores; talem inclyta tete
Progenies quandóque dabit. Quibus ille labantem
Consiliis opibúsque leuat, cùm tristis Erinnys
Discordes furias, ciuiliáque arma cruenta
Sanguinolenta manu quateret, quáque arte parabat
Imperium fundare, & opes præuertere priscas;
His minor insistet primùm, & vestigia Princeps
Gressibus antè leget patriis impressa: sed olim
Huic matura animum postquam firmauerit ætas;
Mox etiam superare volet, longóque relictos
Post spatio transcendet auos. Sic additus olim

Liligeris custos Genius, tutelaque Franci
Nominis, haud media Cœli de plebe, potentis
Casibus infractus Regni, & miseratus ab alto
Nascenti puero (norunt námque omnia vates),
Edidit. Euge puer, Diuis Puer orte benignis,
Francigenûm decus, Imperij spes certa, Parētis
Vota tui, patriæque annis voluentibus imple.
Gallica proh quantis tecum se gloria surgens
Rebus in immensum attollet! tibi maxima fatis
Debentur: mea sunt etenim, quæ condita seruo.
Iampridem, solidóque incisa adamāte, nec iram
Fulminis, aut vllas metuentia fata ruinas:
Et memorare libet. Viues, regnúmque perempto
Impositum genitore feres, quem perfida letho
Ante diē fraude exceptū, incautúmque futuri
Dextra dabit; neque enim vlla queat vis tendere contrà,
Nec cōferre gradum, vel aperto vincere Marte.
Sic immota ferunt summi decreta Tonantis:
Nec mutare meum est. Clades hæc vnica, regni
Triste quidem auspicium: sed enim meliora sequentur
Te duce: mox rerum facies mitißima, & expers
Fraudis erit, scelerísque fides: tibi pace potiri
Secura dabitur: nec vis metuenda, nec hostis,
Quē Patris interea; tuus inde, vbi creuerit ætas,
Finibus arcebit terror. Per te aurea Francis
Sæcula nascentur; delapsáque ab æthere Virgo

Iam placata gradum mortalibus inferet oris.
Huic pietas comes, & synceri gratia cultus,
Relligióque aderit; tetra quæ nocte iacentes
Eriget. Vna fides animis, vnúsque colendis
Ritus erit Superis: ponéntque ferocia cæci
Corda homines, & sponte, Deo impellente, sequentur.

Nec modô pax regnis, cognatáque tela quiescent
Ciuili commota tuba: sed fœdere certo
Finitimos eadem tecum concordia Reges
Astringet. Nō bella vsquā, non rauca sonabūt
Classica; Barbaricos nisi cùm felicibus armis
Victor ages populos, Turcę armipotētis in oras
Inuectus, Martémque Deo præeunte lacesses.
Tùm tibi signa mea spondent victricia sortes.
Seu Syriæ petere arua libet, celsámque Damascum,
Saua vbi Titanum soboles fluuialibus vndis
Præcipitem quondam fertur mersisse Lyæum:
Seu tentare iuuat veteri fundata Seleuco
Oppida, & Antiochi celebres cognomine muros,
Quos depressa secās rapidus loca lābit Orōtes:
Seu pelago impositam Tripolim, aut Sidona, Tyrumve,
Siue Palæstinas iterum properabis ad arces;
Regnáque gentiles olim testata triumphos

Barbarico eripies sceptro: seu victor ad Austrum
Stagna Paratonij penetrans septemflua Nili,
Æmathios longa vastabis strage colonos.
Hic Arabas, Medósque procul, Chaldaáque regna
Terror aget, penitúsque ima tellure repostas
Coget ad imperium gentes: seu sole perustos
Intrabis Libyæ fines, vbi conscia nostræ
Cladis Agenorei surgunt rediuiua Tunetis
Mœnia, qua celsæ steterant Carthaginis arces
Sede prius: seu tu lõginqua per æquora vectus,
Threïcium Francis implebis Bosphorõ armis,
Immanísque caput Byzantia littora regni
Classe petes, diros solio detrudere adortus
Ottomanos. macte his olim puer omnibus esto.
Hæc vbi Francorum custos: fremuere secundi
Cælicolæ. Ex illo tantæ ad fastigia laudis
Fingitur, ac decori venturo accingitur infans.
Excipiunt gremio Charites, regaliaque ora
Componunt, artúsque, & mollia corpora formant.
Adiecêre oculis radios, niueásque rubenti
Infecere genas ostro: sedet ardua celso
Vertice maiestas, & quo non dignior orbis
Imperio stat fronte decor, fragrantibus Hebe
Ambrosiæ siccis, & odoro nectare crines
Sparsit: opes Genitrix, sceptrúq; insigne decorũ

Contulit. Olli acies Mauors, & fortia quondam
Bella manu tractare dedit: néue vtilis expers
Consilij vis tanta foret, Tritonia mentem
Adiecit, docilémque animum; comes addita fraudis
Nescia simplicitas, & relligionis auitæ
Cura vigil, rectíque tenax constantia. Tali
Obsequio gaudens, pérque hæc cunabula se se
Regia prouexit soboles, intérque parentis
Repsit adoratos fasces. Non deneger illum
Sors tulit, æquæua sed maiestate profudit
Lux regno, vitaque eadem. Mox altera fratrum
Pignora, spémque Parens regni est enixa secundam.
Quos inter patria felix puer indole, cultum
Ingenio superante, rudes haud mollibus annos
Artibus imbuitur. Nihil huic puerilia curæ
Otia; sed lusus iam tum tractare viriles;
Aut inflare tubas, aut molli spicula dextra
Vix tolerante procul iacere, aut caua tympana vtráque
Sollicitare manu, galeámque, ocreásque nitentes,
Et picturatos ficto thoracas aheno
Induere, aut longa simulare in arũdine cursus

Cornipedum: modò non falsum, retinente magistro,
Exercere equitem, & molles decurrere gyros.
Sæpe manum curuo lassauit pondere inanis
Fistula; sæpe recens excussa glande tepentem
Accepit, famulóque iterum porrexit, & haustu
Pulueris horrificum crebro ingeminare fragorē
Iussit. Ab his, nulla non Martis imagine ludēs,
Auspiciis celeri tendebat ad ardua gressu.
Ast vbi firmauit se se iam grandior ætas;
Vtque sui compos infantem excussit, & ora
Soluere posse datum est, veterúmque euoluere gesta
Heroum, & laudes patrias; tùm viribus vltrō
Moliri maiora, & non imitabile cœpit
Ante annos agitare decus. Stat laudis auitæ
Exsuperare modum, magnáque cupidine rerū
Æstuat. Haud aliter patriis Massylus in antris
Nondum firma leo, densisque horrentia villis
Colla quatit, tenerisque solum cauat vnguibus, & quam
Nescit adhuc, prædæ impatiens tamen ardet amore.
Aut velut armento in magno proludit inermi
Frōte minax taurus, ventósque lacessit, & ictus
Congeminat, pecoríque præit: sic fortibus ausis
Quanquā impar Puer ingētes sub corde fatigat
Curarum fluctus. Quoties, ceu sceptra teneret,

Explorauit opes regni? quo quaque iaceret
Vrbs fundata situ, quo se munimine fines
Imperij tegerent; hominum qui cultus, an armis
Gens experta foret; quibus antè obnoxia Regi,
Nec temerata fides? tum quo molimine turres,
Oppidáque, & latis incinctas mœnibus arces
Aut quatere, aut duro liceat defendere Marte?
Talis erat domito nondum rudis orbe Philippi
Progenies; cùm nil Martémque & inania praeter
Bella mouens, iam tùm patrios aequare triumphos
Gestiret, raptósque sibi mœreret honores.
Obstupuêre animo comites: miratus & ipse
Audiit haec coram Genitor, blandúmque renidens
Scrutari porrò, & simili sermone morari
Saepiùs, ac fictae seriem perquirere pugnae.
Quaeque diu expertus longo collegerat vsu,
Imbuere his tenerum pectus: quae regna tueri
Arte iuuet, quantúmque animo permittere Regem,
Quo fraenare modo deceat: clementia tutos
Vt magis excubiis, rigidéque satellite praestet.
Proinde iram regere, & mentis sedare tumultus:
Atque sui dominum esse iubet: componere curas
Praecipites: non quid liceat fecisse volenti.

Sed quid opus facto, ratióq. quid exigat æqui
Respicere. Illecebras fastigia summa nocendi
Mille trahunt secum, quas ni compescat honesti
Certus amor, pereunt generis discrimina, dixit,
Inque feram mutatus abit quicunque potenti
Subnixus solio, nil non pro lege tuetur
Quod placitum est, nec ius vitæ commune tremiscit.
Aspice Romuleæ gentis portenta, domúsque
Dedecus Augustæ, Caios, dirósque Nerones,
Incestúmque senem Capreis procul vrbe repostum.
Adde alios, quos prisca hominum monimenta loquuntur.
Seu Danaos, Italósve iuuat, seu voluere nostros
Annales, prima hinc vitæ dispendia, finem
Quòd nullū posuêre sibi, quáque impetus illos,
Suspicióque ageret præceps, aut cæca libido
Sanguinis, hâc fueri ruere; vt Gāgetica tigris,
Marmaricúsque leo, summa vel cuspide strictus
Feruet aper. Cape & imperij contraria nostri
His documenta, Puer! Nam me quanquam ardua cœlo
Æquarit penitùs præclaris gloria factis,

Plus merui pietate tamen, maiórque subactos
Laus seruasse fuit mihi, quàm domuisse rebelles.
Sæpe meo infensos capiti, atque extrema parantes
Eripui letho; nec me certasse priorem
Officiis piguit. Sic quos victoria nondum
Fregerat, indomitum versantes corde furorem
Peruicit pietas. Superis hęc proxima Regem
Concilia populis virtus. Huic regia proles
Succedes decori, patriásque imitaberis artes.
Præcipuè Superûm cultus condisce, Deúmque
Relligionis amans patriæ venerare; nec unquam
Improba fallaci tentet tua corda veneno
Hæresis, aut blando nouitas obrepat amictu:
Tuta per antiquum pones vestigia callem;
Quem magni Heroes, sæclis melioribus orti,
Vnde genus nostrum, & veteris primordia regni,
Ingressi subiere polos, Clodoueus, & acer
Carolus, occiduis latè dominatus in oris,
Quemque animo quondam propiùs, nunc nomine reddis
Borboniæ auctorem stirpis, cui templa nepotes
Solemni de more, piásque sacrauimus aras.
Hac vita sceptrísque prior sit cura, colendis

Numinis integritas: sequere hunc, hunc mentis adora
Sedulus obsequio: cúmque ætheris orbe peracto
Ardua conscendet pulsis Titanius astris,
Seu cum versa retro dederit vestigia, & vndis
Merserit occiduis currum, tum supplice voto
Æternum supera numen; nec fessa repones
Membra priùs stratu, nec matutinus abibis,
Quàm tua placando diduxeris ora Tonanti.
Rex etenim hic, regúmque potens, quos ille retectis
Protegit insidiis, inimicáque tela coërcet.
Proxima cælicolûm tibi sit reuerentia, templis
Quos colimus, meritósque pij mactamus honores,
Regina antè alios Superûm, quæ sola Tonãtis
Progeniem, nullo amplexu temerata profudit.
Hæc cælo, terrísque præest, Natúmque potentẽ
Conciliat generi, & cælestes temperat iras.
Præterea hoc vnum memori mihi pectore conde,
Vrbis vt Æternæ rectorẽ, orbísque magistrũ,
Cui clauis commissa poli est, qui iura fideli
Describit populo, ritu submissus auito
Mente colas placida; nec tu huic parere recusa.
Hoc de te regni decus, hoc exempla Parentis,
Regibus hoc Francis partum cognomen, & illo
Vindice transfusum meruit; sic dicimur esse

Christicolæ insignes, postquã Mauortia Roma
Per nostros defensa Duces, dum perfidus hostis
Imminet exitio, Petríque abolere tribunal
Romulea cum gente parat: tu parta tuêre
Nomina, & in seros maneant transmissa nepotes.

Talia longæuus gnato præceperat Heros.
Vtque animo hæreret penitùs commissa fideli,
Rectores puero interea, rerúmque magistros
Præficit, atque aui mandat florentis habenas,
Inque operis partem ipse venit. Sed enim aspera tantum
Fata tibi, heu nimiùm Gallis nimium aspera Princeps!
Inuidere ducẽ: quanquã sub Matre verenda
Par prope tutela est: vidui qua coniuge adẽpto
Iura thori retinens, communia pignora sexu
Ausa suo grauiora fouet: nec pondere fessa,
Curarum nec mole minor, regalia sceptra
Temperat, officiúmque pari moderamine vtrumque
Sustinet. Idæo talis productus ab antro
Iuppiter, æthereáque recèns in sede locatus
Turrita sub matre fuit, cùm fulmina nondum
Torqueret; nondum cœli conuexa rotata
Cæsarie quateret, clauóque assuesceret orbis.
Haud secus extincto Babylonia coniuge mater
Imbelli pro stirpe, virum mentita, superbis

Præfuit Assyriis. Latio sic inclyta natum
Imperio Mammæa parens puerilibus annis
Extulit. Haud minor est annalibus eruta nostris
Fama tua, Diuûm consors Lodoïce, parentis.
Quis Blancam, vacuósque viri post funera nescit
Seruatos pariter thalamos? quis sceptra tenellæ
In scholis suscepta vicem? quin grandior Heros
Cùm Libycos fines, Eoáque milite multo
Littora vastaret; tum protinus omnia matris
Subdidit arbitrio, regnísque præesse relictis
Hanc voluit. Sed quid frustra lõginqua retexo.
Non audita modò, veteri neque cognita fama,
Sed nuper spectata loquar. Post fata perempti
Coniugis, hæc Regum genitrix tot freta potentum
Agmine natorum toties rectore carenti
Imposita est regno mulier, commissáque Gallis
Iura dedit populis; illo de sanguine creta,
Cui supplere datum est Francæ regalia genti
Pignora, dum regnis soboles dominantur Hetruscis
Altera. Sic felix numerosa prole virago
Borbonios Medicæa lares, populúmque potentem
Materna ditione reget: nec secius illa

Fretus ope, optatum Princeps adoleſcet in annum,
Sed fato potiore: Dei ſic numina verſant.
Quippe vbi contigerit fortis matura iuuentæ
Tempora, felices illa de ſtirpe nepotes
Læta parens gremio excipiet, natóſque videbit
Creſcere natorum; per quos ſe Gallica pubes
Auſpiciis animoſa ducum, ſtudióque, ſub auras
Attollet tantorum, & famā æquabit Olympo.
Tunc alios Heroas, & altera ſurgere ſæcla,
Ceu quondam fœcunda animis ingentibus, audax
Gallia, dereptáſque ſitu mirabitur artes
Rurſus in antiquam fato rediiſſe figuram.
Quippe alÿ Martem, & crudelia fortius arma
Tractabunt; alÿ docta ſibi Pallade famam
Æternúmque decus pariēt, quò nulla priorum
Gloria pertinget: fruſtra Bœotia Tempe,
Aut bifidum mendax iactabit Græcia collem;
Aut ſaxo impreſſos latices. Huc nempe relicto
Migrabunt Helicone Deæ, ac penetralia paßim
Vrbibus exceptæ ſtatuent. Macti eſte propinqua
Spe iuuenes, quos hæc pueri ſolennia ſpectant
Principis: ille vnà vobiſcū adoleſcet, & vnà,
Quam dederit regnis, longo poſt tempore, lætus

Fortunam aspiciet: stabunt sua cuique laboris
Præmia, nec vacuis temerè indulsisse Camœnis
Arentésque inopi strinxisse è culmine lauros
Mœrebunt fessi senio, exanguésque poëtæ,
Sed votis potiora ferent. Hæc gloria dudum
Stemmatis Hetrusci, Medicæi hæ sanguinis artes,
Queis sortem antevolat meritis; proferre Sororum
Iura novem. atque opibus sacros Heliconis alumnos
Protegere. Æthereos dum Sol reget aureus orbes,
Menstruáque alternis rutilabit Cynthia flammis:
Dum Phœbus, Phœbique cohors, dum sancta manebunt
Atria Pieridum, Cosmi immortale canetur
Laurentíque decus. Vósque hac de stirpe creati
Innumeri Heroës, quorum vulgata per orbem
Fama volat, scriptis commissa perennibus, ex quo
Terra ferax frugum, doctas fœcundior artes
Protulit Ausonia, & priscos æquauit honores
Auspicibus tantis. Quin vos ea gloria tangit,
Borbonij manes, nam vos coluistis & illas,
Scilicet exigua quantum tot pace per annos
Respirare datum est, positísque quiescere bellis:

Pluráque moliri meditantem, & lapsa parantem
Instaurare virum mors intempesta repreßit.
Hæc puer excipiet geminæ decora inclyta stirpis,
Ingeniísque dabit pretium: cadet inscia recti
Barbaries. O si quondam hæc mihi tempora fas sit
Aspicere! ô si pars vitæ tam longa supersit,
Vt tua victuro liceat comprendere facta
Carmine, & ingenti partos sudore triumphos!
Nulla tuum præter quicquam mea pagina nomen
Præscriptura sibi est. Nunc pro te vota secundis
Committam Superis; votis damnate precantem
Cœlicolæ: date surgenti felicia regno
Auspicia, atque aui famam cumulate prioris.
Vt proauos virtute Puer, virtute Parentem,
Hunc & sorte olim superet: néve vlla potentis
Fortunæ Imperij spes, aut inimica refutent
Consilia: at secum paribus consurgere regna
Greßibus aspiciat, tandémque vbi lõga senectæ
Tempora contigerit, titulósque impleuerit omnes,
Matura iam prole patrem, pater ipse, beati
Regni acies inter videat, cœlóque fruatur.

IN ANNIVERSARIO Magni HENRICI *obitus die*

CARMEN

Dictum in Collegio Remensi Societ. IESV.



RGO *iterum in gemitus, iterum in suspiria vatem*
Phœbe tuum, sæuíque trahis monimenta doloris?
Hac potuisse tenus satis est: vix fessa querelis
Pectora, vix lacrymis toties manantibus ora
Sufficiunt, leniúsque subit præcordia torpor.
Hæc ego. Iamque mihi alternum pede tardius vno
Carmen erat. mollesque Elegos iam tristis obibat.
Nænia, cùm moto propior me Cynthius arcu
Increpuit: neque te solitos incendere luctus,
Nec rapti iubeo crudele retexere lethum
Principis; haud quaquam tales felicibus opto
Manibus inferias. Liceat, quos vltima segnes
Abstulerit sine honore dies, queis nominis idem

Exitus,

Exitus, & vita est, lacrymis vrgere sepultos.
Hic quem iura super fati communia virtus
Sublimem extulerat, cui nil nisi corpus a-
demptum,
Immortale decus superat, nec fletibus vllis
Indiget, atque alium per me sibi poscit ho-
norem.
Annuus ecce diem reuolutis mensibus orbis
Reddidit, infandæ nuper quæ conscia cladis
Horruit extinctum per tristia vulnera Regem.
Flebilis illa quidem, rebúsque miserrima ve-
stris;
Sed vitæ caput, atque æui melioris origo,
Et luctu perfuncta priùs, nunc laude Parentis
Solenni celebranda venit: tu muneris huius
Principium posthac venientibus astrue seclis.
Dixit, & inclusos spatiis breuioribus æquum
Porrigit in numerum versus, citharáque mo-
rantem
Impulit. Ergo alius restat labor, altera flexo
Calle tenenda via est. Tu nunc quacumque
receptus
Parte Poli conuexa premis, patriæ aspice
quondam
Magne Parens HENRICE*, tuóque ani-*
mum adiice vati.
Sed quem te potius memorem? quóve or-
dine dicam?

Borbonios referam Heroas? decora inclyta stirpis
Antiquæ, generisque ducem, quem vota fideles
In sua ritè vocant populi, cælóque reponunt?
An puero tibi gesta sequar, primósque recessus
Inter senta situ, salebrísque horrentia saxa,
Hîc vbi duratum vario certamine corpus,
Assuetúmque operi? Veteres si prosequor actus,
Longa nimis rerum ambages, nec prodere cuncta
Sufficimus. Mihi principium sit Gallia flammis
Per te erepta suis, longo & molimine partum
Imperium, patriæque salus fundata ruentis.
Ardebat ciuile nefas, trepidóque tumultu
In sese incurrens cognatis viribus, omnis
Ibat in exitium feralibus excita bellis
Gens inuicta: cruor paßim, paßímque per vrbes
Attonitas diræ malesuada insania cædis,
Et præceps furor, & ferri væsana libido
Oliscebat: miseros in mutua vulnera ciues
Ære minax rauco, & conuersa cuspide Mauors
Impulerat, tortósque soror iactauerat angues.
Queis rabie succẽsi animi, flammatáque in iras
Pectora: tùm nullo generis discrimine, nullo

Fœderis, arma omnes rapere, & scelerata ciere
Prælia, commißisque in se concurrere telis.
Sic postquam Æmonio patefactus vomere campus
Vipereas acies, hostiliáque agmina fudit,
Desuper acta silex fraterna in bella subactos
Terrigenas iterum genitalibus abdidit aruis:
Talis erat regni facies lacrymabilis, ex quo
Amisso rectore ferox, & nescia dudum
Frana pati hærebat medius deprensa procellis
Gallia. Ceu prona quondam de puppe magistrum
Præcipitem liquidas si fors excußit in vndas,
Voluitur icta vadis, fluitátque incerta per æquor,
Mox scopulis frangenda ratis, vel turbine vasto
Correptum latus in fluctus mersura sequaces.
Aut velut in præceps vacuos moderamine currus
Abripiunt, celerésque ruunt sine more quadrigæ,
His super accensus curis dùm fluctuat Heros
Borbonius, tua, summe Ducum LODOICE, *propago,*
Quem rerum desertus apex, regnique manebat
Triste gubernaclũ, partes dũ mœstus in omnes

Diuiditur, pendétque animi, dùm mẽte fatigat
Quid struat, aut qua se tandẽ ratione, quibúsve
Explicet auxiliis, qua fulciat arte labantis
Imperij molem, supremáque fata moretur:
Multa Deum supplex humili cum voce precatus
Dicitur, & palmas cœlo intendisse supinas.
Nec frustrà hæc, gemitúsque imo de pectore fusos
Audiit ex alto Genitor, casúmque potentis
Heu quondam regni, atque vices miseratus iniquas,
Delectas multi Superûm de millibus vrget
Regis in auxilium Diuas, queis cura tueri
Imperia, & missos domini sub iura rebelles
Conciliare animos. Subeunt, mora nulla, patrísque
Accelerant mandata Deæ, terrísque propinquant.
Quas inter manibus flagrantem lampada quassans
Religio niuea princeps se veste ferebat.
Huic Astræa comes graditur, cui pendula dextram
Libra onerat. Fertur tacito pallore micantes
Interfusa genas, palmaque innexa decorum
Fronde caput viridi fortis Constantia; necnon
Consiliis operata ducum, solérsque futuri

Alma Themis; gressus pariter molitur ouanti
Septa choro, pictámque trahens Victoria pal-
lam;
Lætáque Pax vittis, glaucáque insignis oliua.
Exin turba minor, Diuas comitatus euntes
Virgineus sequitur. Cunctæ simul agmine facto
Regia corripiunt iter ad penetralia, septæ
Aëre condenso, & nebulæ nigrantis amictu.
Tùm Regem (forte hic secreta in parte sedebat,
Magnanimo ingentes curas sub corde volu-
tans)
Improuisæ adeunt: quem sic ex omnibus vna
Relligio affatur (mediam nam turba sororum
Suspicit, & quacúmque tulit vestigia, paßim
It comes.) O magnis iamdudum exercite rebus
Progenies regum, numerúmque auctura prio-
rum!
Quod petis ambiguis supplex in casibus, vltrò
Subsidium tibi Diua fero. Me summus ab alto
Delapsam genitor, sociarúmque agmine cin-
ctam
Hûc properare iubet: Cœlorum ego limina seruo,
Has sua quæque tenet spatio: sed regna fouere
In commune datum est cunctis. Nos æqua re-
gentum
Imperia in populos, magni simulacra tuemur
Principis, & placidum sceptris subiungimus
orbem.

Diuiditur, pendétque animi, dùm mẽte fatigat
Quid struat, aut qua se tandẽ ratione, quibúsve
Explicet auxiliis, qua fulciat arte labantis
Imperij molem, supremáque fata moretur:
Multa Deum supplex humili cum voce precatus
Dicitur, & palmas cælo intendisse supinas.
Nec frustrà hæc, gemitúsque imo de pectore fusos
Audiit ex alto Genitor, casúmque potentis
Heu quondam regni, atque vices miseratus iniquas,
Delectas multi Superûm de millibus vrget
Regis in auxilium Diuas, queis cura tueri
Imperia, & missos domini sub iura rebelles
Conciliare animos. Subeunt, mora nulla, patrísque
Accelerant mandata Deæ, terrísque propinquant.
Quas inter manibus flagrantem lampada quassans
Religio niuea princeps se veste ferebat.
Huic Astræa comes graditur, cui pendula dextram
Libra onerat. Fertur tacito pallore micantes
Interfusa genas, palmaque innexa decorum
Fronde caput viridi fortis Constantia; necnon
Consiliis operata ducum, solérsque futuri

Alma Themis; gressus pariter molitur ouanti
Septa choro, pictámque trahens Victoria pallam;
Lætáque Pax vittis, glaucáque insignis oliua.
Exin turba minor, Diuas comitatus euntes
Virgineus sequitur. Cuncta simul agmine facto
Regia corripiunt iter ad penetralia, septa
Aëre condenso, & nebulæ nigrantis amictu.
Tùm Regem (forte hic secreta in parte sedebat,
Magnanimo ingentes curas sub corde volutans)
Improuisæ adeunt: quem sic ex omnibus vna
Relligio affatur (mediam nam turba sororum
Suspicit, & quacúmque tulit vestigia, paßim
It comes.) O magnis iamdudum exercite rebus
Progenies regum, numerúmque auctura priorum!
Quod petis ambiguis supplex in casibus, vltrò
Subsidium tibi Diua fero. Me summus ab alto
Delapsam genitor, sociarúmque agmine cinctam
Hûc properare iubet: Cœlorum ego limina seruo,
Has sua quæque tenet spatio: sed regna fouere
In commune datum est cunctis. Nos æqua regentum
Imperia in populos, magni simulacra tuemur
Principis, & placidum sceptris subiungimus orbem.

Per me Threïcias Romam qui primus in oras
Transtulit, infandos ritus, & falsa Deorum
Numina non ficti mutauit honore Tonantis.
Prodigium sed enim postquam cæleste sequutus
Æthereæ visum arripuit sub nube trophæum,
Ex illo immanes felici Marte Tyrannos
Contudit, & totum sua sub iuga pretinus orbem
Auspice composuit Christo, terrísque reduxit
Otia, quæ per me simili nascentia fato
Constitues: me Francigenûm duce rector in hostem,
Non acie, non fretus equis, sed numine dextro,
Teutonicas acies Clodouæus, & horrida cultu
Agmina nequicquam patrio defensa subegit
Hercule. Quid Carlum taceam, quem nostra secundi
Orbis ad imperium pietas, Romanáque sceptra
Extulit? Ille truces populos, quósque Alpe profusus
Aëria Rhenus spumantibus alluit vndis,
Et quos diuerso Hesperius lauat æquore gurges,
Infrænésque Italos, quicquid regione repostum
Occidua, Francis per me sibi subdidit armis.
Tu quoque non alia quondam stimulante, relictis
Sedibus, Eoos fines, Libyæque per vndas

Regna petis Lodoïce, & , quà sitientia latè
Culta secans rapitur septena per ostia Nilus,
Barbaricos patrio vastasti milite campos;
Vt Solymam, & lapsi in terras loca conscia adires
Numinis, ereptósque iugo, si fata dedissent,
Immani populos placida ditione teneres.
Ipsa ego sum, quæ tot Clodouæo ab Rege per annos
Transmissum Imperij decus, & mansura per æuum
Vobis sceptra fero: per quam firmabere regnis;
Ne dubita, vinces; adero, mecúmque sorores
Cuncta tibi in melius referent (tùm nomina pandit
Diuarum, & quid sortè datum, quæ cuique potestas)
Sed non antè licet, quàm circumfusa tuenti
Nubila discutiam penitùs, purgatáque reddam
Lumina. Sic placida postquam Dea voce locuta est,
Continuo obductas mota face dispulit vmbras.
Error abit fugiunt nubes, & in aëra apertum
Reddita mens stupet insolitæ commercia lucis,
Miratúrque, ardétque animo, & se suscitat heros.
Non sic armorum spoliatus tegmine Peleus

Saltibus in vacuis, circum stabula alta rudentum
Dum pauet horrendos fremitus, rictúsque ferarum,
Munere gauisus superum est, vbi missus Olympo
Affuit, & strictum Cyllenius attulit ensem.
Non sic Acrisij soboles, cùm bellica sese
Diua laboranti comitem, sociámque pericli
Addidit: alloquio quantum, aspectúq; Dearũ
Borbonius gaudet Princeps: quas æthere rursum
Subuectas, celeriq; fuga per inane volantes
Prosequitur. Feror, ô quo me vos cumque Tonantis
Imperio trahitis, téque in tua iura vocantem
Sponte sequor, Pietas. Nec vana effatus, & acri
Intentus studio, monitis cœlestibus hæret.
Purpurei primùm moderantem augusta Senatus
Concilia aggreditur, cœli cui claustra, vicésq;
Commisit Deus ipse suas, qui maximus orbi
Præsidet: huic stabili Princeps dum fœdere iungi,
Obsequióq; parat, celebris iam limina Templi,
Antiquas Druidûm sedes, sacraria Diuæ
Matris adit, pinguique caput perfusus oliuo

Felicis ritè imperij meliora retexit
Omina. Vix patrij repetens vestigia cultus
Romanum ad soliũ, atque ampla fastigia Sedis
Addiderat sese, veniámque orauerat absens,
Cùm venti cecidere, & strata repẽte per vrbes
Tempestas armorũ, & lethifer excidit horror.
Ilicet agglomerant cuncti, dominúmque fatentur,
Frænáque certatim accipiunt, & pace reducta
Fœdus in antiquum coëunt. Ceu gramina circũ
Dum volitant, quâ se rex cúmque obiecit, in orbem
Cecropiæ funduntur apes, & murmure rauco
Circunstant. Sic læta nouis successibus ibat
Regis in obsequium, pesti subducta nefandæ
Gallia. Iámque arces, & coniurata recludunt
Oppida: panduntur portæ, & regalia vbique
Lilia confestim, cretatáque signa coruscant.
Sub iuga iam Meldæ, Biturixque, ac vite feraces
Aurelij veniunt, magníque Lutetia Regni
Prima tenens: túque auspiciis vrbs inclyta Regum
Martigenæ fundata Remo, Remísq; propinqui
Suessiones, Trecæ, summóq. cacumine pendens
Laudunum, Senonésque, & quos vagus Axona, & ingens
Sequana Burgundis dirimit de collibus ortus.

Quiq.tenent ripas Ligeris: quos gurgite lustrat
Præcipiti Rhodanus: tunc diuitis incola cessit
Lugduni, Latijque tenax gens Hedua quondã
Fœderis: Iliacáque trahens ab origine stirpem
Aruernus: túque Ausoniis Braccata colonis
Terra frequens: vnâ antiquæ se mœnia pãdunt
Massiliæ, sæuóque Arelas regnata Bosoni:
Et quæ Teutonico fluitantes sanguine campos
Bis duce prospexit Mario, cui Sextia nomen
Lympha dedit: quáq; extremo patet ora recessu
Oenotrio prætexta mari; quodcunque Pyrenen
Inter, & egelidas latè protenditur Alpes.
Martius accelerat Narbo, bellóque potentes
Tectosagi; quique excelsis supposita Gebennis
Rura colunt: longo soluuntur marte Rutheni:
Et quà Celtarum pernicior arua Garumna
Diuidit, Artomicúsque, atque hinc Tarbellicus, illinc
Auscus, & indomitis Vasco prætentus Iberis.
Quiq. colũt pingues Aquitano vomere glebas,
Santonicíque, alacrésq. datis in fœdera dextris
Pictones, & duro Lemouix insuetus aratro.
Tardiùs accessit vastum sinuatus in æquor
Brito animis, populisque potens; sed regia tandem
Iussa capis, primiq. trahunt Ligerina colentes
Ostia Namnitæ, sequitur quos omnis vtrinque
Armoricũ tractus: Nam dulci immitis Iaccho

Neustria, quaque breui diuisos ora Britannos
Æquore prospectat, dominantē authore fouebat
Rothomago Henricum pridem, Vnellúsque, sagáxque
Cenomanus. Poteras bellis perfuncta videri,
Heu nimiùm infestis vicina Picardia Belgis:
Iamque recèns parto te Principe læta ferebas,
Naufragáque illisæ toties tabulata carinæ
Portubus appuleras tandem, cùm sæuior ecce
Haurit hyems, iterúmque, salo superante, per vndas
Volueris infelix; nec enim lateri imminet hostis
Amplius, aut circùm solitis assultibus errat.
Sed gentis caput, & cæco penetralia Marte
Occupat, & regno exitium, cladémque minatur.
Non tulit hanc animis speciem, raptímque solutas
Rursum acies ad signa vocat, rursum instruit arma
Borbonius Princeps, nec iam ciuilia gaudet
Tela quati, & iustos demum sibi fata triūphos
Moliri. Quid ego hæc memorem, quo cardine rerum,
Quóve moræ pretio, si tùm foret vlla, citatas
Impulerit turmas, prædámque ex vngue reuulsam
Abstulerit, juguló que inimicū excusserit ensē?

Vos quoque Caletes, Morinûm prope rura, Britanno
Opportuna freto statio, sub Francica tandem
Lilia cessistis. Sic desolata subinde
Sceptra pius reparat Princeps, cursúque secundo
Relliquias regni, & patriæ labentis honorem
Erigit: excedunt pestes, rediuiuáque cultus
Iura prior repetit: nusquam furialia corda
Vrget atrox belli rabies, cædísque cupido:
In quarum rediere locum pax tuta, fidésque
Sanctior, & placido stringens concordia nexu.
Tunc rebus decor, & Francis lux reddita: tùm se
Publica produxit facies: quid enim antè malorum
Turbine depressum fuerat, nisi noctis Auernæ
Effigies, tetráque Chaos caligine tectum?
Haud secùs in sese tellus patefacta refusis
Fluctibus emersit, decimæ post cornua Lunæ,
Postquam euicta freto, & cumulo stagnantibus vndis
Insidam sobolem, & genus exitiale peremit.
Illa quidem informi limo, atque vligine primùm
Horrebat, turpíque situ; dein fœta recenti
Germine, paulatim priscum mutata colorem
Induit, & cultu solitos mansuescit in vsus.

Hoc te natalem, atque ortus traxisse secundi
Limina crediderim, quo te, mea Gallia, Princeps
Tempore deuinctam scopulis, monstrique trementem
Horribiles rictus, iam fato instante, resoluit,
Disclusitque graues solida compage catenas.
Qualis Abantiades duris Cepheïda Perseus
Cautibus adstrictã, & Matri commissa luentẽ
Eripuit, vastíque immania corpora Ceti
Contudit. Ergo eadem tanti quæ causa laboris
Henrico fueras, pretium seruata fuisti.
Hic regno impositus demùm, rerúmque potitus,
Non qualem exitio, sæuisque receperat armis,
Nec vitâ seruasse tenus, nec sorte vetusti
Contentus decoris, nulli superanda minorum,
Nulli æquata, tuum priùs ad fastigia nomen
Spem supra, votúmque tulit. Mox quicquid egenis
Rebus ab imperio auulsum, atque externa redactum
Sub iuga distulerat Regum fortuna priorum,
Aut diffisa sibi, pacisve amplexa quietem
Spreuerat, inuadit celer, atq. vltricibus armis
Obnixus contrà sequitur. Sic victor ad Alpes
Fulminat, Insubri iunctos dum Marte Salassos
Vindicat. Horrescunt latè loca cuncta, metũq;

Taurini, penitúsque iugis subiecta tremiscunt
Oppida. Iam Ligurum tractus : iam Lydus Hetrusci
Accola Tyrrheni, supero iam limite turbat
Eridanus, trepidísque acuens rumoribus vrbes
Hunc secum Adriacas terrorem euoluit in vndas.
Quo Princeps inuicte ruis? quò deinde sacratum
Obiectas caput, oblitus regnique tuíque?
Sat Marti feróque datum est. Quid vota tuorum,
Heu! dubiis pro te toties suspensa periclis
Sollicitas? desiste animis, iustóque furori
Pone modum: neu te gentis suprema morari
Fata triumphata libeat. Ne tendite porrò.
Tuque adeò, tu cede prior, quem poscere fœdus
Iampridem decet, & venturæ occurrere pesti.
Nec te magnanimo pudeat succumbere Regi.
Hoc victus quodcumque times, victore leuabis
Dedecus Henrico. Sed vos, quorum aduena rursum
Finibus incubuit Mauors, terrétq; propinquos;
Ne trepidate Itali, non hæc in vestra parantur
Excidia. Hoc Franco toties imbuta cruore
Terra quidem metuisse potes; sed magna rependis
Præmia: tete ingens Romanæ Sedis obumbrat

Nomen, & à Petri fœdus consorte petitum.
Te genus Hetruscum, & Francis bis pronuba sceptris
Regna tegũt; clara vnde Ducũ de stirpe virago
Arma inter, strepitúsque atque æra micantia Magnum
Connubio Henricum, thalamísque iugalibus ornat,
Mox regum fœcũda parens. Hac auspice freta
Parce metu. Iam castra, viden'? cõuersáq; retrò
Signa refert, blandáque animos in Coniuge ponit,
Iámque hosti placatus abit. Sic acer ab Hæmo
Dum redit, Odrysiáque vndantes cæde reliquit
Bellipotens campos, niueo Cytherea furentem
Mitigat amplexu, manibúsq; excussa cruentis
Hastámque, clypeúmq; rapit, atque ære trilici
Consertum ex humeris tegumen. Nec longa subinde
Tempora, cùm partu felix Lucina secundo
Protulit optatam sobolem, pulcráque parentem
Stirpe facit. Post tot demum, Lodoice, triumphos,
Tot certata tuis, confectáque bella, tot antè
Cladibus exhaustis, decorísque, & pacis alumnus

Magnanimo genitore subis; te præside vtrumque
Pollicitus; simul ingentis super æthera nomen
Venturum Regni: simul alta, silentibus armis,
Otia, nec quicquam per te ciuilibus vltrà
Dandum odijs, longáque vrbes in pace regēdas.
Inde aliam, parto regnorum hærede, sub auras
Progeniem Coniux tibi enim tibi, maxime regum,
Edidit, atque vnà populi spem prole virili,
Sceptráque Borbonijs sancit regalia; ne quo
Tempore in externos pereant reuoluta nepotes.
Hæc vbi sacratis illapsa penatibus auxit
Cura patris studium, placidas traductus ad artes
Quem prius in ciues, æqua modò parte laboris
Accipit in natos animum, faciléśque benigno
Temperat officio, & patriis virtutibus implet.
Ante alios sacri hæredem quem nominis ætas
Grandior ad regnum spatio propiore ferebat.
Hunc regere, hunc vsu paulatim, atque arte magistra
Instruere, ac rerum tentat componere habenis;
Multa rudem aggrediens monitis: quid pace, vel armis
Conueniat; quiánam Populi Pater ipse, quibúsve
Audierit meritis. Hæc atque his plura tenellis

Auribus instillans, opera ad maiora sequaces
Inflammare animos, stimulísque haud mollibus vltrò
Hortari puerum, cultu concreta perenni
Regia quò primis virtus inolesceret annis.
Haud secùs Æmony cura genitoris Achilles
Imbuitur, Phtia imbellem cùm regia natum
Clauderet, & torui nondum spelæa Magistri
Incoleret. Talis Tyrias deuotus ad aras
Excidio Romæ patriis assueuerat Heros
Sidonius castris: quique hunc tellure retractum
Ausonia Libycis domuit Romanus in aruis
Scipiades: necnon cognomine clarus eodem,
Sæua Numantinæ celebrem quem gloria cladis
Reddit, Elisеísque iniecta incendia tectis.
Nec tamen intereà partes distractus in ambas
Segnior incumbit regnis; nec cura Parenti
Publica decreuit: non seciùs ille recepti
Imperij fundabat opes. Quid lapsa senecta,
Deformíque situ pridem squallentia, vel quæ
Turbine corruerant belli, non reddita tantùm
Nuper, & in priscam rursus recidiua figuram,
Sed cumulo perfecta loquar? Quid tecta superba
Mole canam magnum cœli surgentia in axem?
Regalémque domum, & Pariis suffulta colũnis

Limina, porticibúsque inter se peruia laxis?
Quantum ebore, & sectis sursùm laquearia testis
Picta, soli subter facies, auróque coruscent?
Quaque per ingentis molitus mœnia raptim
Lutetiæ? Mitto immensi compendia flexus,
Impositum fluuio pontem, quem stridula torquet
Machina, subiectásque rotis euerberat vndas.
Quaque aliis substructa locis, quæ sparsa per vrbes
Henrici monimenta, & non delebile magni
Pectoris indicium. Quin relligiosa paratu
Atria magnifico, solidóque è marmore Diuûm
Instaurat delubra, pij quæ conscia ritus
Multa patrum dederat, paßímque sacrauerat ætas;
Verùm afflicta solo, & manibus conuulsa nefandis
Post aliquot demùm voluentia sæcla, nepotum
Viderat infelix soboles. Hoc vbere Bacchi
Fertilis, irriguo Ligeris quam prænatat amne,
Terra potes memorare, Crucis quæ diruta quondam,
Regifico sumptu, paulatim immania templa
Crescere, & eductum sub sidera tollere culmen
Cernis adhuc. Adde his rebus quæsita tuendis

Plurima, & aggestam regni ad munimina opum vim;
Quas modici patiēs cultus, contentáque paruo
Regia, consuetique onerant dispendia luxus.
Talia securus posito dùm Marte volutat,
Respirátque animis Princeps, dum regna per orbem
Circumfusa silent: quis enim se viribus vltrà
Obiiciat tantis, magnúmque lacessere demens
Audeat Henricum? studiis ingentibus ardet
Imperium proferre Dei, ritúsque profanos,
Quà datur, atque Erebo quondam squallente refusum
Luctificum errorem patriis detrudere sensim
Finibus, heu! latè immissum, penitúsq. per ima
Viscera grassantem; ferro tamen ille, manúque
Temperat, inuitósque iugo subnectere Christi
Haud sinit; ipse vltrò blandis hortatibus instans
Sollicitat, mulcétque animos, crebrísque lacessit
Alloquiis. Velut insontes Epidaurius herbas
Vulneribus crebrò senior, succósque salubres
Admonet, & sæuo parcit rescindere ferro.
Multi illum verbis certatim, ac voce magistra
Tendere in aduersos, sanctique aperire recessus
Dogmatis; aut diræ portenta resoluere fraudis
Attoniti videre. Sacræ reuerentia gliscit.

Legis, & antiquos Populi formantur in vsus.
Multáque Gorgoneis iampridem afflata venenis
Oppida, quæ longo vires traxêre veterno,
Concretam excutiunt labem, ac vel luce suborta
Funditùs excedunt tenebræ, aut sublustre per ymbras
Lumen, & intacti subeunt consortia ritus.
Quæ pater vt lato vidit procedere cursu,
Consiliis firmare parat, cœptúmque tenore
Perpetuo designat opus. Proinde agmina bello
Viuida, & extorres Socios, quos fortibus ausis
Digna salutiferi decorant cognomina Regis,
Aduocat, inceptóque, & partibus acer iniisdem
Constituit, longæque abolet vestigia cladis.
Ergo alacres operi incumbunt, validísque refecti
Viribus, haud segnes regalia vota capessunt.
Ac veluti in campis volucrem dùm præpete cursu
Venator leporem, aut deiectum culmine ceruũ
Insequitur, longáque canes statione resoluit:
Olli præcipites per prona, per ardua longis
Flexibus exultant, iamiámque fugacia morsu
Terga premunt, crebrísque onerant latratibus auras.
Sic vbi concordes, spatiis subinertibus, Heros

Increpuit turmas, laxisque effudit habenis;
Haud mora connixi inter se, suetúmque laborem
Partiti ingeminant curas. His fretus Eoos
Quinetiam penetrare sinus, & Barbara gestit
Regna sub ætherei compellere sceptra Tonantis.
Et iam difficiles aditus, clausúmque colonis
Pandit iter fidei: reduces Byzantia Francos
Littora mirantur non arma inimica, trucésque,
Ceu quondam, applicuisse acies, nec regna pacisci
Sanguine: sed lætum iubar, & pietatis auitæ
Importare decus. Non illis vellera cordi
Phryxeæ pecudis, pelago quæ fortis eodem
Graiugenûm pubes claro sub Iasone quærens
Ausa per ignotos celeri rate tendere fluctus:
Quin pretium secum, patriásque inferre laborant
Diuitias. O, quæ sub iura reponere Christi,
Aggrederis, dignè imperiis; nunc te inclyta tangunt
Facta: tibi Odrysiæ Bithynus conditor vrbis
It comes, & meritis grates ingentibus æquat.
Proxima Phœbeas artes complexa Parentis
Cura fouet: pacis comites hic tollere Diuas,
Palantésque fuga, & belli terroribus actas
Erigere, & cæcis in lucem efferre latebris.
Ex illo ingeniis, nullo discrimine census,

Creuere pretia, & laudis succensa cupido est.
Incubuere animis certatim, operique Mineruæ
Hæsere immemores otî, variisque repentè
Sedibus exciti, queis largo Heliconius haustu
Proluit ora latex celebres petiere frequenti
Agmine Parisios. Nec te minor Andibus olim,
At nunc Aonidum templis æquanda sororum
Flexia prætereo; quibus ardua tecta, larémque
Das Henrice *tuum, regnúmque ibi gentibus esse*
Phœbeum statuis. Flaui venêre Britanni,
Germanique acres, Batauique, & cærula quicquid
Oceani lauit vnda. Suas indè hospita Roma
Hausit opes. Sed enim angustis discludere carmen
Cogor inops spatiis, terræque aduertere fessam
Remigio puppim: nec me quàm multa relinquam
Haud dictis leuiora fugit: sed proximus vrget
Limes, & imbellem moles onerosa fatigat.
Hæc alios memorare iuuet: sit carminis illi
Argumentum ingens, per tot spectata labores
Pectoris indomiti virtus: hostilibus alter
Insistet spoliis, numerosáque prælia dextra

Victrici pugnata canet, fusásque patenti
Æquore bellantum non vno Marte cateruas.
Atque alius captas arces, perruptáque dicet
Mœnia : nec duris præsens constantia, lætis
Temperies, dubiisque sagax prudentia deerit,
Nec syncera fides, tacitisque imperuia semper
Fraudibus, ac nullo liuentia corda veneno.
Imò etiam tristi funus lacrymabile planctu,
Pérque latus regale tua in præcordia adactum,
Gallia! mucronem referet, quo regna sub ictu
Conciderant, nisi iam pessum labentia proles
Aurea fulciret, mediáque à morte referret.
Verùm equidem hæc aliis post me plangenda relinquo
Vatibus; hunc me sacra vetant solemnia luctu
Degeneri fuscare diem; vetat ipse potitus
Cœlicolûm, ac meritis Princeps, famáque superstes.

SOTERIA AD S. GENOVEFAM VRBIS PATRONAM.

DIVA potens morborum, & acerbis vnica rebus
Spésque salúsque! tuos per te rediuiuus honores
Aggredior. Qualis pelagi seruatus ab vndis
Naufragus, illisæque expertus damna carinæ,
Si quod in extremo discrimine Numen amicũ
Senserit, ad sacros figit donaria postes.
O si supplicibus nostra hæc ad tempora votis
Quotcunque optatam per te meruêre salutem
Muneribus certare parent; templísq. vicißim
Grata tuis monimenta ferant, quænam omnibus aræ
Sufficiant? Quacunque diem mortalibus almũ
Primus agit Titan, quacunq. nouißimus exit,
Cuncta tuam sensêre fidem, frustratáque nunquam
Orbe procul toto celebrant tua numina Gentes.
Sed tamen ante alias, quæ te sub luminis auras
Nascentem dedit, & tali se iactat alumna,
Francigenûm regni sedes. Vbi mole superba

Erectum,

Erectum; & veteri tibi relligione sacratum
Stat delubrum ingens. Qua te olim sede morantem
Suspensámque polo, ac precibus longinqua trahentem
Otia Parisij lapsam velut æthere ciues,
Te Franci coluere Duces. Tibi regia cessit
Purpura: quanquam expers Christi, veterúmque Deorum
Monstra colens, necdum lustrales corpore lymphas
Imbuerat Princeps. Illîc post longa senectæ
Tempora iamdudũ Christo matura supremum
Explesti sine labe diem, cœlóque receptus
Spiritus intactos artus, sacrata reliquit
Pignora: Magnum illud Francis Vrbique futurum
Præsidium. Hinc rebus sueti tutamẽ in arctis,
Hinc petere auspicium, & Regni committere curas.
Ecce sub æstatem lætos cùm frugibus imbres
Subtrahit, & solito flagrantior æstuat æther,
Arentésve coquit lenta face Sirius agros:
Squallet adusta seges: seu mites torridus vuas
Est vapor: aut contra pluuio Ioue fœta liquescunt
Arua, nec attonitis spes est super vlla colonis.
Ilicet Indigetis raptim ad sacraria Diuæ

Vrbs effusa ruit ; sacróque affixa feretro
Multa Deum obtestans lacrymis precibúsque fatigat.

Quà domus interior Phœbeos prospicit ortus,
Pergula bis geminis post aram educta columnis
Pegmatis in speciem assurgit:cui desuper almæ
Virginis incumbens loculus complectitur ossa,
Relliquias quondam crypta inferiore refossas.
Has vbi moliri ex adytis, Vrbíque piandæ
Circumferre iuuat; notas concurrit ad ædes
Turba virûm, matrúmque frequens, atque innuba proles.
Tum sacris operata cohors treis ordine Soles
Exequitur, totidem insomnes per mutua noctes
Carmina, Iessæus fudit quæ plurima Vates.
Parciùs hæc inter dapibus, laticìque Lyæo
Indulgens casto peragit ieiunia ritu.

Nec temerè hæc sparsa in populos, transmissáque vulgò
Relligio, aut patrij fiducia Numinis hæsit:
Euentu manifesta fides. Vix proxima lucem
Aurora extulerit; vix mota crepidine ab alta
Fercula cõstiterint: supplex cùm turba, Deóque
Inuidiam factura, onerán sque altaria planctu,
Ante expectatum voti damnata quieuit.
Extemplò cœli facies mutata, diúque
Compressi subitis erumpere nubibus imbres,
Et bibulam latis segetem perfundere riuis.
Seu contra nimiis tellus madefacta laborat

Imbribus, Oleniúmque satis pecus, aut mala Pleias
Ingruit; hûc illûc liquidam disiecta per æthram
Nubila diffugiunt. Morbis sed prima leuandis
Gloria, præcipuúmq; decus. Quos ægra fatigāt
Corpora; queis rapidæ sub iniquo sidere febres
Tabentes artus, moribundáq. viscera torrent,
Vt sacram tetigêre domum, propiúsque feretro
Applicuere gradum: vel si contendere ad ædem
Vis morbi furiata vetat, tectísque coërcet;
Vota vbiquísque absens imo de pectore fudit;
Seu loculo contacta piæ fragrantia serta
Virginis admouit, seu tactu imbutus eodem
Lineus ægrotos artus velauit amictus;
Corporeæ abscedunt pestes, blandúsque subinde
It vigor, & priscæ redeunt in pectora vires.
Non ope Pæonia, medicísve potentiùs herbis
Phillyrides, Phlegiæq. nepos, non ipse salutem
Certiùs attulerit Pæan. Nec corpora luci
Reddita quanquam olim iactauit Græcia mendax,
Æsonáque, & falso damnatam crimine Thesei
Progeniem, vel ficta modis mendacia miris;
Virginis æquarint titulos; quos nulla Tonantis
Fulmina, nec Diuûm sordes comitantur auaræ.
Nota loquor. Matris precibus scit reddita proles
Vnica; quam temerè illapsam putealibus vndis

Hauserat atra dies. Patriæ sed maius ab Orco
Ereptæ pretium, pro quo se munere certant
Fundere ciuiles per candida lilia quercus.
Heu! quibus afflictam morbis, qua strage suorum
Oppressam meritis seruasti ingentibus Vrbem!
Huic quondam cæli vitio, læsiue furore
Numinis atra lues, sæclisque ignota priorum
Incubuit morbi facies, populúmque per omnem
Sæuiit, haud quaquam solos depasta nocentes.
Ac velut arentem æstiuo cum sidere messem
Falcibus immißi agricolæ succidere certant,
It ferro populata seges, latéque per agros
Sternitur, & densæ in terram cumulantur aristæ.
Haud aliter totam pestis bacchata per Vrbem
Perfurit, & miseros nullo discrimine sexus
Ætatísque rapit violenta in funera ciues.
Iam medicæ cessêre artes, tentatáque frustra
Pergamei senis, & Coi præcepta magistri.
Námque vbi se totis insuderat acta medullis
Flammea vis, tetros maciéque adduxerat artus;
Tum fœda illuuies, atráque fluentia tabe
Viscera: dum sese membris sacer omnibus ignis
Spargeret, & scabra exesum putredine corpus
Luctantem tenues animam expiraret in auras.
Talibus attoniti pœnis tota Vrbe vagantur

Semineces, lentóque gradum molimine figunt.
Iamque adeò fessis rerum, fractísque malorum
Pondere nil præter Superos & vota relictum
est:
Vota ferunt Superis, pacémque per omnia
Diuûm
Templa petunt. Sed nil precibus votísque per-
actum:
Donec fatalem ad loculum, & felicia ventum
est
Pignora, Virgineóque humeris subiere feretro.
Expectata dies aderat, cùm plurima sese
Agmina languentum totis effundere tectis:
Quæ totidem effossis credas reptare sepulchris
Corpora, pallentésve Erebo volitare figuras.
Ilicet agglomerant raptim, cunctósque viarum
Hinc inde obsidunt aditus; quà compita cir-
cum
Colle suburbano (nondum hic erat additus
Vrbi)
Pompa frequens molitur iter. Nec vota fefellit
Ritè animis præcepta salus. Quacúmque pio-
rum
Vecta humeris longo signarunt ordine vicos
Fercula, diffugiunt morbi, infusúmque medul-
lis
Emoritur virus: tum qui vitalia penè
Carpserat, afflatu molli se temperat ardor,

Vndique constratos ab humo se attollere ciues
Aspiceres, nullóque viam rectore secantes,
Protinus albatæ comites se adiungere pompæ.
Sic, vbi summa dies damnato illuxerit Orbi,
Tyrrhenúsque procul dare signa nouissima clangor
Cœperit; atque imis tellus patefacta refundet
Faucibus excitos supera ad conuexa silentes;
Hinc atq; hinc tumulis eiecta cadauera cernes
Crescere paulatim, ac solidis insistere plantis.
Præsidis ex illo in populos reuerentia Diuæ
Gliscere, & augustum fama increbescere nomẽ.
Ac ne longa dies meritis obliuia tantis
Allineret; morbo per te ex ardente recepti
Ardentum, Genouefa! tibi cognomine dictam
Constituêre domum: quà Virginis ardua Matris
Templa sub obscuras condunt fastigia nubes.
Sed quid ego hæc autem cõmunia sola retexo?
Fas mihi sit priuata loqui. Fas, carminis huius
Vnde exorta seges, venientibus edere sæclis.
Hactenus expertem morbi, ac securа trahentem
Tempora continuò gelidus peruaserat horror.
Igneus hinc venis calor incidit, actáque sensim
Interiùs lenta febris contage peredit.
Non hæc alternis vicibus reuoluta, fugáxque
Sæpius, atq; iterum recidiua in corpora serpens.

Sed non vlla pati docilis commercia; nullo
Interrupta die, flamma carpebat edaci.
Interea siccas torrens sitis improba fauces
Haustibus eluitur nullis, glíscítque medendo.
Haud secus ille graui calcatæ Dipsadis ictu
Saucius Afrorum per inhospita tesqua viator
Ardet inexpletum sitiens: vel qualis inerti
Mole trahens hydrops distẽtam pallidus aluũ,
Nequicquam assiduis arentia temperat vndis
Guttura; nec rabiem potis est sedare bibendo.
O ego quos fontes! quæ tum mihi flumina demens
Fingebam! potúque animum solabar inani!
Nunc Ligeri immersus paulo simul ore videbar
Excipere infusas toto cum gurgite lymphas;
Nunc te, Parisias præter qui laberis arces
Sequana, partitísque facis diuortia muris.
Aut mihi si quis erat visus, vel cognitus amnis:
Lubricus aut per plana fuga properaret aquæ fons.
Hinc ego nunc tractim gelidos haurire liquores;
Nunc me præcipiti in mediũ demittere saltu;
Atque innare vadis, altáque voragine corpus
Obruere, ac fundo rebar mersare sub imo.
Hoc tamen asperius, morbóque immanius omni,

Longa quòd insomnis pariter noctísque dieque
Tempora ducebam: nec me pars vlla quietis,
Illapsúsve sopor languentia membra fouebat.
Tunc ego septenos memini ter condere Soles,
Ac totidem immensæ duxisse silentia noctis;
(Bruma fuit) nullo cum flectere lumina somno
Infelix possem. Sic Virginis ille Pelasgæ
Peruigil hærebat custos. Sic velleris alter
Phryxæi. Tamen hic & carmine victus, & herbis
Cessit, & ingenti sinuata volumina campo
Explicuit tandem. Mihi nec quæ plurima fudi
Carmina, proh superi! (quanquam omnia posse ferebant
Carmina pallentem cœlo deducere Phœben,
Sistere aquas, manésque Erebo reuocare sepultos)
Nec medicæ fruges, Lethæáque gramina somnum
Reddiderant. Tali stupefactus imagine rerum,
Nec dubiæ propiora timens præsagia mortis,
Virginis obtestor Numen; functúsque periclo
Votiuos dulci pro luce rependere versus
Polliceor, paruáque animam mercede paciscor.
Audiit orantis gemitus, vatémque subinde

Maluit esse suum, Viues, ait, & mea saclis
Munera venturis proprio testata periclo
Hinc canere incipies voti reus. Omnis ab illo
Tempore detersa gelidæ formidine mortis
Spes redit, & morbi vis importuna remittit.
Verum vbi parta salus, depulsáque corpore febris;
Seu vota exciderant animo, seu lenta laboris
Tædiá, Musarúmque vetus fastidia langor
Attulit; in longum promissa piacula tempus
Distuleram: cùm vix anno vertente recurrens
Acriùs incessit morbus, rursúmque benignæ
Virginis auxilium, veniámque orare subegit.
Auxilium, veniámque suo Genouefa clienti
Nil cunctata dedit. Nec nos promissa referre
Præmia distulimus, pactósque sacramus honores.
Quæ tu Diua! precor memoris monimenta vicissim
Pectoris accipiens instantibus erue morbis.
Nec veterum patere affectis inolescere membris
Relliquias, quas hac mœrens ad tempora traxi
Seu cœli vitium, nostæque inimica fatigat
Temperies; seu vis tenues occulta per artus
Funditur, infectúsque exundat in intima sanguis
Seu voti culpanda mora est, tardisque seuerum

Experior numen. Quæ me sors cumque grauatum
Obruit, & capiti exitium pestémque minatur;
Hactenus in sontem fœdè grassata residat.
Auspice te quicquid superest felicius æui
Contingat; solidæ sano vt stent pectore vires;
Donec summa dies miseri contage solutum
Corporis æthereas cæli transcribat in arces.



AD S. GENOVEFAM

ODE I.



RANCI in salutem nominis, & decus
Prognata Virgo! quæ faciles piis
Aures laborantum querelis
Adiicis, auxilióque mulces.
Quacúnque lætos intuleris gradus,
Obscœna morborum antè fugit cohors,
Faméſque, & infelix egeſtas,
Et dolor, & trucis ira lethi.
At blanda Spes, & Proſperitas comes
Et Pax renidens, almáque Fauſtitas.
Quas inter expedita cultu
Grata Salus niueo refulget.
Hoc ſepta Diuarum obſequio caput
Florentis Vrbem protegis Imperi:
Vtcumque te patrona Virgo!
Rebus opem dubiis popoſcit.

Quam lucis olim cùm traheres adhuc
Mortalis æuum diceris haud semel
Fulsisse, & instantis labantem
Faucibus eripuisse lethi.
Sic impotentis territus Attilæ
Per te refugit miles, & aßitas
Bacchata tempestas per vrbes,
Mœnibus abstinuit propinquis.
Quantum illa Francis subdiderat metum
Effusa terris pestis ab vltimis,
Quà Tethys extremum sub axem
Frigore Hyperboreo rigescit!
Hinc bellicosæ gentis in intima,
Post se relicti Sarmaticus furor
Per cæde fumantes & igni
Relliquias penetrauit orbis.
Exinde montis culmine ceu rapax
Ad ima torrens horribili ruit
Fragore, conuulsámque secum
Rupis agit, nemorísque pártem.
Sic strage fœda Barbarus obuias
Perrupit vrbes. Iamque iter omnibus
Impunè vastatis adusque
Parisias properabat arces.
Sed imminentem Virginea prece
Placatus hostem Cœlicolum potens
Auertit, intentóque sontes
Eminùs increpuit flagello.

Sic luce nondum cassa minacibus
Ciues periclis eruere, & graues
Mollire non æqui solebas
In patriam furias Tonantis.
Quid functa inerti corpore, Cœlitum
Transcripta regnis? Heu! quoties opem
Rogata, nec surdis querelas
Auribus excipiens clientum,
Nunc æstuantes Icaria face
Campos petitis imbribus irrigas!
Nunc rore non iusto madentes
Sole eadem recreas sereno!
Nunc fessa morbis corpora pristino
Mandas vigori! Præcipuè improbæ
Quos febris alternis recursans
Continuúsve perurit ardor.
Non illa Ciues, non patriam modò
Complexa Diuæ dona, sed exterum
Diffusa manarunt per orbem,
Diuite sparsa vbicumque cornu.
Huic ipse vitam, quodque animæ est super,
Debere, morbíque indomiti exitum
Agnosco, damnatúsque voti
Hæc tenui cecini Camœna.
Sed nunc per omnes Virginis arduum est
Duxisse laudes carmen: & aleæ
Res plena maioris, per altum
Tendere iter leuiore cymba.

Ad Christianissimum Regem LVDOVICVM XIII.

De suscepta Regni administratione

ODE II.



Sic Patre dignam magnanimo decet
Regnare prolem. Sic Superûm genus
De stirpe longinquâ trahentem
Digna suis agitare Diuis.
Succede Regni legitimus tener
Curis: nec alti pectoris impetus
Prægestientes apta nondum
Imperio remoretur ætas.
Flos ille primæ pubis, & insolens
Laboris æuum, sit reliquis licet
Imbelle, certantésque iniquo
Pondere vis onerosâ frangat:
In te morantes firmior indoles
Compensat annos, atque animi vigor.
Cunctantis & robur iuuentæ
Anteuolat leuiore penna.
Iam te Parenti, te Proauis parem
Virilis ardor mentis, & efficax
Attollit; Inuictique Proles
Principis haud dubitanda surgis.

Sic Arce paruum siderea Iouem
Stetisse narrant. Sic propè puberem
A Matre Turrita relictas
Cœlicolum tenuisse habenas.
Nondum hic caminis ducta Cyclopeis.
Torquere norat fulmina: nec face
Seu montis eductum cacumen;
Seu veteres populare quercus.
Cùm iura rebus haud leuis arbiter,
Legésque Diuis poneret; & graues
Mundi laborantis ruinas
Exciperet subeunte collo.
Talis Philippi progenies, Iouis
Mentita stirpem: quem patria super
Virtute mærentem resoluit
In lacrymas animosus ardor.
Aut ille gentis Borboniæ sator,
Cœlo receptus: Cuius ad vltimos
Audita Maurorum recessus
Arma, Parætoniúmque Nilum.
Videre talem hunc Sceptra, puertiâ
Florente functum. Quem tibi nunc genus;
Et nomen, & virtus: & olim
Martia vis, animúsque iunget.
Quem tu potenti (si modo longior
Aspiret ætas) Imperio statum!
Quæ iura! quos cultus sacrísque
Adiicies pius, & profanis!

O! si secundis hæc liceat mihi
Videre Diuis tempora; quos domum
Vel pace deductos, vel armis,
Militiáque canam triumphos!

AD EVNDEM,

FRANCIAE PROSOPOPOEIA.

ODE III.



CONTRACTA *rugis ora perederat*
Viuax senectus: & macies cutem
Deformis, hærentésque nudo
Osse tenus vitiabat artus.
Iam me sepulcro pallidus Arbiter
Damnarat Orci. Iam grauidum caput
Vrgebat, & sacrum notarat
Persephone sibi furua crinem.
At nunc, secunda noster vt alite
Regnis Alumnus Borbonidum subiit:
Nouisque maturus cadentem
Auspiciis celebrauit annum;
Mutata rursum: ceu spolio nitet
Exuta serpens, aut ope Colchidis
Herbísque, cantúque priorem
In speciem recreatus Æson:

Verno iuuentæ flore decentiùs
Tollam propinquum sideribus caput.
Longísque primæuos honores
Ponè dabunt spatiis secundi.
Vt vitis almæ crescit ad arboris
Adiuncta ramos: aut hederæ coma
Frondentis ad summum, maritæ
More subit vegetata stirpis.
Sic me sub auras applicitam euehet,
Crescétque mecum: quem pietas mea
Tantisper innixum fouebit,
Mox paribus refouenda curis.
Hoc me secundi munere grandior
Donabit aui: seráque protinùs
Post fata succrescens Nepotum
Perpetuus cumulabit ordo.
Quos lecta tantis coniugiis dabit
Ibera consors, Borbonij nurus
Herois, antiquis Parentum
A proauis generosa Virgo.
Sed patris illos tardius in vicem
Submittat æquus Cælicolum fauor:
Longósque florentem per annos
Te videat (Lodoice) Franci.
O! te (quod vsquam numinis est precor)
Non fata terris inuideant prius,
Magno redonandum Parenti,
Quàm titulos velites per omnes.

Quàm prisca post te sæcla reliqueris;
Regesque Francos. Seu proauos iuuat;
Seu stirpe non vna creatos
Imperio superare & armis.
Qui sæuientes, turbinis in modum,
Actique cælo fulminis impetu,
Fregere Mauros; vt remenso
Terga darent fugitiua Ponto,
Vel strata campis corpora: quæ manu
Vterque Carlus; ceu pecudum greges,
Furente prostrauit, ferinis
Rictibus, alitibusque prædam:
Ausos ab Afro litore Bæticis
Vndare campis: claustraque gentibus
Obiecta moliri, nec æquo
Hercule, nec superis secundis;
Queis sceptra curæ. Quos tibi prospera
Regni sub ortus, omine præstites,
Cultúque donandos vicißim
Vnanimes cecinere Parcæ.

VOTVM DEAE THEMIDI siue Iustitiæ, pro felici Regni administratione, & solennium Comitiorum successu.

ODE III.



NTIQVA *magni progenies Patris;*
Consulta legum Diua; quibus Polum
Tractusque terrarum coërces:
Et liquidi vaga regna Ponti.
Tum quæ trifauci tergeminus Canis
Rictu fatigat: Numine quâ tuo
Descripta flagrantes per æuum
Pœna suos cruciat nocentes.
Te seu priores fatidicam Themin
Dixere: seu quæ terrigenis Polum
Astræa conscendit relictis:
Siue Dicen meliùs locuti.
Placata Regni consiliis ades;
Præsente Regem numine temperans,
Matrémque, consessusque lapsis
Rebus in auxilium paratos.
Te Pax, Amorque, te Pudor, & Fides,
Et Lex sequuntur, grataque Faustitas:
Vtcunque suspensa potentem
Lance præis onerata dextram.

At bella, rixæque, & furiæ procul;
Suisque gaudens addere non sua
Effræna votorum cupido
Antè volat fugiente gressu.
Tu Sceptra firmas. Tu gregibus Ducem,
Gregésque læto concilias Duci.
Hoc iuris: hunc æquus triumphum
Quippe tibi Genitor sacrauit.
Ex quo rebellis turba sequacibus
Armata flammis in Superûm genus
Ipsúmque, quis credat? Tonantem
Ausa graues agitare pugnas.
Manum illa Diuis intulerat metum,
Bellum nefásque Lucifero ciens
Ductore. Quos contra fideles
Aligerum subière turmæ,
Delecta forti Signifero manus;
Non illa ferro, non facibus minax:
Latéque confertos in hostes
Tela Crucis potiora torquens.
Sed concitato Marte ferocior
Non obstinatos antè acies gradus
Damnata Cocyto retorsit,
Æthere præcipitans ab alto.
Quam te, Alma, tandem supplice perfidos
Vindex trisulco fulmine contudit
Regnator, inuoluítque flamma, &
Tartareo Phlegetonte clausit.

Hos flama. At illos fluctus, & ęquoris
Vnda æstuantis, te scelerum arbitra
Damnante, correptos profundo
Hausit, ad imperium Tonantis.
Cum certa Mundi fœdera discidit
Irata Tethys: cúmque hominum genus,
Quacumque terrarum refusa,
Et pluuio Ioue fata, mersit.
Tum secta rostris nubila cærulæ
Strinxêre puppes. Montibus obrutis
Iamiámque surgentes in altum
Astra ferunt timuisse fluctus.
Sic te scelestos vindice criminum
Pœnæ insequuntur. Nec minus in pios
Propensa, sceptrorum potentes
Asseris, Imperióque firmas.
Talem precamur tu, Dea! sospites
Franci columnam nominis, & decus.
Ne sæua tempestas labantem
Turbine concutiat caduco.

ECCLESIA CHRISTIAnissimi titulum offert LVDOVICO *Regi.*

ODE V.



RINCEPS *Auorum sanguine ab vltimo* [*decus,*
Æquande Diuis; quod proprium est
Sceptrisque Francorum receptis
Nobilius, tibi Diua reddo.
Sarranus illos à Populo nitor
Secernat, auro pictus, & igneo
Ardore gemmarum coruscans.
Hos latebris celebret repostum
Quodcumque primò Sole, vel vltimo
Afflata tellus visceribus parit.
Hos mille discurrens per artes;
Nec satiata iuuet libido.
Hos fulminantis robore dexteræ
Perruptus orbis: siue acies retrò
Conuersa camporum patenti
Æquore, seu pelago carinæ.
Vtcunque claros militia Duces
Maiore vestrum nomen adorea
Obscurat, exemptúmque vulgo
Cœtibus inseritur Deorum:

Vos prima Reges, vos pietas facit:
Cælique gaudens obsequiis amor.
Dum Francus hoc vno laboret
Esse minor, superabit omnes.
Hinc magna terris nomina: sed Polo
Maiora constans obtinuit fides.
Hinc gente de Christum professa
EXIMII meruere dici.
Quorum secundis non semel obrutam
Me me sub auras viribus extuli:
Cúm ventus, hibernáque fessum
Vnda caput premeret procella.
Sic Carlus: & quem nomine tu refers:
Sic ipse nuper promeruit Parens.
Cùm iura maiorum, Ducémque
Christicolum rediuiuus audit.
Hic primus illi sceptra aditus dedit.
Huius tenacem fœderis exitus
Cælo reponendum beauit,
Heu! nimium mihi luctuosus.
Proinde hoc Parentis? hoc generis cape:
Hoc non eodem sanguine Principum
Cognomen, & partis memento
Astruere haud leuiora rebus,

AD
EVNDEM LVDOVICVM
DE POMPA REGIA
ODE VI.

PRIMA *hac ouātis pompa fauentibus*
Deducta Musis, & placidus labor
Bis térque plaudentes subegit
Castalios iterare fontes.
Dum cædis expers, nec lacrymabilis
Vlli, per vrbes Francigenûm extulit
Myrto coronatum triumphus.
Pace tuos celebrante gressus.
Maiora posthac præmia fortior,
Æuíque compos, nec leuiter tibi
Vel parta, vel seris canenda
Adiicies, LODOICE, *saclis.*
Seu regna sæuis acer ab hostibus
Tutanda sumes: seu libet exterum
Vbique terrarum, marisve,
Non sine Diis, agitare Martem.
Cum vela Francis classibus explicans
Bis sparsa nostris arua cruoribus,
Nilique stagnantis reuises:
Et Tyriis habitata Pœnis.

Queis

Queis non tinullos litoribus diu
Errare Mauros, nec proauum fines
Iactare captiuum, vel atra
Peste acies, vitióque cœli,
Non Marte victas. Hinc nitido Crucem
Signata tergo te Duce protinus
Recusa diffinget iuuentus
In Syrios, Arabásque tela.
Tunc & decorum puluere Barbaro,
Et cæde corpus, non sine laurea,
Curru reportantes Camœnæ
Excipient operosiores.
Proin tu fouendis, quarum opus exigas,
Assuesce Diuis. Ac Sociûm vice
Audi salutantes benigna
Fronte pius, patrióque vultu.

Ad illustrissimum HENRICVM BORBONIVM Regij sanguinis Principem.

ODE VII.



VÆ vota, Princeps! qui puerûm fauor
Grato per ædes murmure personant,
Festíque concursus, tuúmque
In decus ingeniosus ardor.
Quæ te triumphi more, precantibus
Secunda Musis, anteuenit cohors.
Quæ te salutatum laborat
Pierio recreare ludo:
Quod lætus audis cumque, quod aspicis,
Parua hæc honoris præmia, nec tuo
Splendore, nec Regum potenti
Progenie, meritísque digna.
Sed certa mentis signa reconditæ,
Fucata nullis artibus. Hæc dolis
Instructa nonnunquam malignè
Grandior assimulabit ætas.
Hîc innocentis nulla pueritiæ
Suspecta vox est: cui subitus calor,
Et mentis arcanos recludit
Simplicitas animosa sensus.

GALLIÆ DE CHRISTIANISSIMI Regis HENRICI obitu QVERELA.



I mea sunt Regum in cædes fœcunda meorum
Viscera, quàm satius non peperisse fuit!
Ah potiùs deserta forem, damnatáque vastis
Saltibus, & solis terra relicta feris.
Aut me præcipitis tegerent vada cærula ponti;
Pérque meos iret puppis adunca sinus.
Quamquam ô! quid sobolem infelix, partúsque nefandos
Conqueror? hoc Franci non potuêre nefas.
Non ego te, quisquis ferro temerare Parentem
Ausus, & incestas spargere cæde manus,
Progenui: nec te, humana sub imagine monstrũ,
Vlla dedit solito pondere fœta parens.
Sed turpis lupa, vel cultu defecta peragrans
Arua sub algenti protulit vrsa polo.
Aut te furtiuo Furiarum maxima partu
Edidit, & tenerum nexuit angue caput:
Vipereósque tibi succos infudit, & ora
Vbere nocturnæ commodauêre strigis.

Quicúmque es tamen, heu! nimium, scelerate
fuisti,
Auspicibus fatis, in mala nostra potens.
O ego ne tanti vidissem exempla furoris,
Quàm priùs hac vellem succubuisse manu!
A me vtinā infandæ caperes primordia cædis!
Ante meum hausisset perfida sica latus!
Nunc ego cùm toties lento confecta dolore
Dispeream, potui tunc periisse semel.

CORONA REGIA.

VOTVM.

In LVDOVICI XIII. inauguratione
Remis celebrata.



VOD bissena modò Procerum inter sacra coronam
Turba tuo, Princeps, imposuit capiti;
Impensum hoc regno decus est, próque omnibus ille
Redditus in sacro vertice sedit honos.
Nunc aliud puer à pueris cape stemma, lapillis
De totidem, primum quot posuere manus.

Vnio. Regia Maieſtas.

Quondam hic gemmarum Princeps, cui nomen ab vno,
Sceptra dari in plures Regia poſſe negat.

Chryſolithus. Pietas.

Prima decet Regem pietas: pietatis amorem
Nobilis aurato gemma colore refert.

Topazius. Prudentia.

Inuentu haud facilis, limam dum ſuſtinet vnus,
Eſſe animi prudens qua potes arte, docet.

Sardius. Iuſtitia.

Iuſtitiæ eſt terrere malos, ceu luce potenti
Dicitur inſtantes pellere Sarda feras.

Adamas. Fortitudo.

Pectoris indomitum ſolido ex Adamante vigorem
Diſce, Puer: vanos excutit ille metus.

Amethyſtus. Temperantia.

Quæ tu iura aliis, eadem tibi pone, modúmque,
Sobrius in vino quem iubet eſſe lapis.

Alectoria. Virtus bellica.

Bellica pugnacem faciet te gemma: Miloni,
Si qua fides, illinc víſque, animúſque fuit.

Carbunculus. Vigilantia.

Nocte diéque micans Carbunculus, otia Regem
Carpere, nec tota nocte iacere ſinit.

Smaragdus. Liberalitas.

Luce virens grata complet vicina Smaragdus.
Sic agedum largas sparge benignus opes.

Achates. Morborum curatio.

Cui potiùs Franco medicus donetur Achates
Principe: cui morbos soluere voce datum est?

Sapphirus. Rege dignæ artes.

Dum tener est animus varias discurre per artes
Vt varias reddit gemmula picta notas.

Iaspis. Amor suorum.

Conciliare animos viridi quæ fertur Iaspis
Lumine, quàm populi patribus apta venit!

DE OLEO COELITVS INVNgendis Franciæ Regibus misso.



COELITVS emißis, cœlo post fata locandis,
Regibus est lapsus cœlitus iste liquor.
Si dubitas, tinctum deinceps Regem aspice; quantus
Fulgeat hinc, quàm se protinus ore ferat:
Quantum animo decus & teneris accreuerit annis
Roboris: vt dio ferueat igne fides.

Vt nil iam vulgare sonet, nec laudis auitæ
Degener, imperij pectore vincat opes:
Hoc vsu liquor, his præstet si dotibus; an non
Se quoque cœlestem, dum facit, esse probat?

DE SOLENNIBVS A LVdouico Rege celebratis Regni Comitiis Elegia.

ILLE *ouium pastore satus: quis sceptra gubernans*
Fatidicũ sacro pectine lusit opus;
Impositus regno Salomon, cœlestia postquam
Munera, & afflati pectoris hausit opes;
Protinus à legum, & iuris moderamine cœpit
Imperium: his Regem gessit ab auspiciis.
Cùm prolẽ ambiguã, furtiuáque pignora matri
Reddidit, & stricto prodidit ense dolos.
Hunc morem Lodoice, atque hęc exẽpla secutus
Gallica pro forti sceptra Parente subis.
Quippe tibi à pueris olim desueta nefandæ
Primus erat linguæ ponere fræna labor.
Impiaque in Superos populi maledicta furentis
Vulnificus sæuo terruit igne chalybs.
Quem bonus, at sceleri non exorabilis, autor
Sanguinis in tales strinxerat antè reos.

Si qua fides (Neque enim chari tam læta Nepotis
Auspicia, & mores hunc latuere sui)
Ille tuus Magni Proauus post funera Regis,
Subsidium dubiis rebus opémque parans,
Dum patrias sedes, & prima reuisere regna
Sidereo rursum lapsus ab axe cupit.
Hîc vbi Borbonidum statio est: quâ Libra morantem
Excipiens medio contrahit orbe diem.
Hos aditus regni, prima hæc exordia cernens,
Substitit: &, Nostras impleat iste vices.
Scilicet (adiecit) dabitur me præside vita
Longior, exhausto stamine ducta tenus.
Dixerat. Indigetes eadem sententia Francos
(Plurima quæ cœlo turba recepta) mouet.
Vota fides sequitur. Paribus stirps Regia curis
Ardet in antiquum tollere Sceptra decus.
Nũc quoque cum spatiis surgens maioribus ætas
Temperat admotas ad sua fræna manus.
Magna mouens animo, rerũ ad tutamina robur
Consilij, lectos cogit in Vrbe viros.
Vndique concurrunt: seu quos hinc montibus altis:
Hinc gemino tutus gurgite claudit Iber.
Quosque rapax mittit Rhodanus: quos vomere scissa
Rhocaico: Ligurum terra vel Alpe rigens.

Quos Salyum, Allobrogúmque vrbes, fundatáque Planco
Mœnia, vel tacito flumine lentus Arar.
Quà Liger in zephyros gelida curuatus ab Arcto.
Quà citus abrupto fonte Garumna ruit.
Tectosages, lætique freto propiore Vibisci:
Et quos Santonicæ Tethyos vnda premit.
His super Aluernus. Lemouixque, & Pictus vterque
Diues & inscripta vellere Cubus ouis.
Misit & ingenti sinuata Britannia flexu.
Versaque in Arctoum Neustrias ora latus.
Æduus hinc, & Belga subit: quiq; accolit vndas
Phrudi tuas illinc, Matrona & inde tuas.
Vndique delectos proceres Tegeaticus vrget
Aliger, & Francis conciliata Themis.
Nec minùs Aonidũ ductor. Tum si qua futuri
Præscia consiliis Numina adesse solent;
Intersunt pariter: ternisque operata laborant
Ordinibus. Totidem turba vocata facit.
Credita sacrorum his pietas: hos inclyta tollit
Nobilitas, armis parta, vel acta retrò.
Tertia coniungunt populi submissa minoris
Agmina; quos illi Marte sacrisque fouent.
Tum Regni secreta cohors, consultáque legum
Pectora. Quorum olim (nota, sed ampla loquar)

Pro tot Nestoribus, Danaum tibi Ductor, vt illo
Tempore vixissent, vel satis vnus erat.
In medio Henrici soboles cum Matre verenda
Assidet: & Proauis iura reperta nouat.
Quaque animo quondam, atque vsu maturior ætas
Adstruat inceptis vberiora docet.
Macte modo amborum cultu: Francósque paternis
Moribus: at fato commodiore rege.
Et quæ concordes animis tua iussa morantur,
Partibus imperij fac rata vota tribus.

AD REGINAM MATREM ob tutelam sapienter administratam.

ΕΥΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ.



SI digna suis referre votis;
Digna vel meritis tuis laboret
Quidquid Francigenum vspiam est per orbem.
Si quantum est vbicunque gratiarum
Omnes te vndique conferant in vnam:
Si vel regna tibi hac, vel his secunda,
Vel maiora etiam rependere optent.
His regnis sibi gratiísque nunquam

Profectum satis æstimare possunt;
Cuncta qui tibi vitam, opes, salutem:
Et quod vita, opibus, salute maius
Est illis, meliúsque, chariúsque,
Regem qui tibi debeant alumnum.
Quem per te incolumes vident amántque:
Et longo vt videant præcantur æuo.
Hoc se vnum, vt videant, rogare dicunt.
Nam se posse oculis negant videre,
Quin ament magis ac magis videndo.
Hunc tu luminis editum sub auras
Magni delicias, decúsque Patris,
Sed magno citò Patre destitutum,
Bellè ac sollicitè interim educasti.
Tum vincens animo, atque amore sexum
Commissas tibi, cùm sinu foueres,
Pulcro, atque aureolo tuo Puello
Fecisti Imperij leues habenas;
Magni, Iuppiter! & laboriosi.
Quas, desiderio tuo flagranti
Vt se tardior explicauit ætas,
Fide protinùs integra remittis.
Pro tantis, age, talibúsque factis,
Pro Regis populique amore tanto;
Quo dignè Populus remunerabit?
Quo Rex te, Domina, ac tuos labores?
Opinor, tibi quod putes abundè:
Et quod maximum habent vtrique munus:

Hic, Regnum vt sibi creditum paternis,
Maternísque regat bene institutis.
Ille, vt pareat, atque amet regentem.
Ast ambo Patris, & cui vicißim
Conseruent memorem, piámque mentem.

IN CHRISTI CIRCVNCISIONEM.

ESSE *quid hoc dicam, quod te hæc per nulla fatetur*
Signa Deum, solo festa cruore dies?
At modò, quanquam inter pecudes, fœnóque iacenti
Præbuerant humilem concaua tigna thorũ:
Protinus ipsa suum cœlestis curia regem
Prodidit alternis officiosa modis.
Exin Stella magos Phœbeo exciuit ab ortu,
Desertóque volat rustica turba grege.
Nempe truces animos vix hæc spectacula tangunt:
Ergo aliter furor hic erudiendus erat.
Vt quos nulla sui pietas animarat in hostem
Principis, his visus præbeat arma cruor.
Sic prius ostenso Taurus violentior ardet
Sanguine: sic Lucas excitat ira boues.

DE TRIBVS RELIGIOSORVM VOTIS.

QVOD *prius hærebat propria radice, nec vlla*
Erectum alterius nobile germen ope.
Heu malè prostratum est sceleris contage maligni,
Subiectámq; nouo pondere pressit humum.
Viderat hoc operis tanti sator: &, quia per me
Hoc factum est, per me restituetur, ait.
Tum cruce supposita, teneram de cespite plantā
Tollit, & hoc carum stipite fulcit onus.
Néve vllis posthac caderet decussa procellis,
Partibus astrinxit per tria vincla tribus.
Nunc melius tanto subnixa pedamine perstat.
Vtile nimirum sic cecidisse fuit.

DE REGIA SACERDOTVM dignitate.

SCEPTRA *Sacerdotes quondam tenuisse feruntur,*
Siue tua ô Babylon! siue Canope! tua.
Fallor? An hæc cadē noster sibi iura sacerdos
Vendicat? hinc secto crine decorus apex.
Imò aliud maius; vel si fas dicere; sed fas:
Diuinum in tanto munere numen inest.

Cuius ad imperium cœlique Erebique repentè
Clauditur, aut laxo cardine porta patet.
Natura cui cedit opus; cui cedit & ipse
Mundi opifex, non tu hunc dixeris esse Deum?

De SS. Petro et Pavlo.

Cætera *cùm similes fuerint; cur stipite fixus*
Alter, at huic sæuo tollitur ense caput?
Sic decuit: caput ille orbis, capite hic minor vno.
Nec duo, nec nullum debuit esse caput.

Ad Lvdovicvm XIII.
De Fixensibus Scholis.

Læta *suum per me tibi cor* Lodoice *animúmque*
Dat Schola Borbonij mitis alumna laris.
Ne parui facias; hanc de tot sedibus vnam
Rex voluit Cordis *maximus esse sui.*
Cætera si certent, dono superabimus isto,
Cùm tantum in nostro Cor *tibi corde damus.*



TRAGOEDIÆ SEQVENTIS

ARGVMENTVM.

CARTHAGINE magna ex parte à Scipione capta, oppidani in Arcem, quæ velut altera quædam vrbs fuit, Byrſa nomine, ſe recipiunt. Erant præter Aſdrubalem, ac Numidarum Transfugas DCCCC Punici nominis ferè L M. Quorum ad calamitates præter famis acerbitatem, quæ iamdudum etiam ſtante adhuc vrbe ſæuire cœperat, Transfugarum deſperatio, ac crudelitas acceſſerat: qui per vicos, atque domos graſſati infeſta omnia direptione ac cædibus habebant. Inter tot incommoda,

cùm iam xv. fermè dies Scipioni restitissent, postremò Sacrorũ Antistites cum infulis, & suppliciis ad eum allegant. A quibus tentatum frustrà est, vt euersam Patriam instaurare iisdem in vestigiis liceret. Quare per eosdem Legatos de deditione actum est, ea lege, vt salui omnes Byrsa atque incolumes euaderent. Quod, exceptis Transfugis, omnibus à Scipione concessum est. Illi ad Æsculapij Templum, quod aspero in colle ac difficili situm erat, confugiunt. Interim Asdrubal, qui sæpius ab Vxore, vt se ad hostem supplex conferret, rogatus, superbè ac ferociter renuerat, furtim egreditur; & à Scipione infimis precibus vitam ac salutem impetrat. Hoc vbi ad Coniugem perlatum fœminam impotentem, quam is in Templo cum duobus liberis amens atque attonitus reliquerat, furens illa post diras & vltimi exempli im-

precationes, filios primùm ſub ipſo Parentis aſpectu iugulat; tum ſemet-ipſam eodem gladio tranſuerberat. Quo ſpectaculo cõmotus Aſdrubal, dum à Scipione in Caſtra reduci iubetur, ſibi ipſi violentas manus attulit. Hæc Appianus Libyco.

Dramatis locus eſt. Carthagine ad Arcem.

PERSONÆ.

Didonis vmbra.
Senatores.
Asdrubal.
Coniux Asdrubalis.
Transfugæ Milites.
Chorus Carthagin.
M. Æmilius Roma missus.
Scipio.
Legati Carthagin.
Milites Romani.
Tribunus Militum.
Nuncius.
Bitias.
Legatus Scipionis ex Africa rediens.
Chorus Romanorum.
Lycas.
Filij Asdrubalis.
Phameas Transfugarum Dux.



CARTHAGINIENSES

TRAGOEDIA I.

ACTVS PRIMVS.

Didonis vmbra.



V Æ me profunda sede ab inferni Iouis,
Vmbris negati spatia relegentem ætheris,
Excepit orbis regio? Quæ tellus habet?
Agnosco. Libyæ video feruentes plagas
Et adusta Sole regna: queis patrios lares
Mutare diri barbarus fratris furor;
Cæcáque ad aras fraude mactatus tori
Consors subegit. Cærula emensas rates
Patriisque onustas opibus, arquato sinu
Prima hac crepido texit. Hinc propiùs Noto
Quà longa stagnum tænia excurrens secat,
Religata classis hæsit. Hîc secto bouis
Metata tergo spatia: mercali stetit

Cum Byrsa campo. Mœnium hîc sulco leui
Impressus orbis. Regia hîc sedes fuit.
Illîc viarum strata. Prô quantum loci
Mutata facies ! quantus in cineres decor !
Quam vasta moles abiit ! Hûc illûc solo
Disiecta video tecta , & immißis domos
Crepitare flammis. Cuncta spumanti natant
Cruore sparsa. Virginum imbelles greges
Ante ora matrum feruidus miles rapit.
Illîc catena tardus imposita senex
Trahitur : ruinas inter oppressa iacent
Sepulta patriæ corpora. Hic strata ædium
Mole occupatus rudere aggesto latet.
Ambustus alter culmine ex alto salit.
Currentis alios vngula obtritu necat
Quadrupedis. Illum flamma depascens vorat.
Hunc saxa subter conditum, & cumulo obrutũ
Ligone fossor mactat , & valido caput
Perfringit ictu : dum viam euersis parat
Aggeribus. Heu me ! quantus ex vrbis rogo
Atro sub auras vortice exundat vapor !
Qualem , subactus latera cùm mutat Gigas,
Aetnaa fundunt viscera. Ah ! me me tui
Carthago miseret. Me-ne tam auersis locum
Cepisse superis ? Siccine infesti Phryges ?
Hostísque Troia semper ? Argolica face
Hûc ille prædo profugus ereptos vehens
Patriæ Penates turbido appellit salo ,

Miseræque tandem illudit. Ex illo manet
Fatale gentis odium, & vltrices necis
Scelerisque furiæ. Marte, quâ fatis datum est,
Aggressa gemino Libya. Bis Pœnis potens
Ausonia castris tremuit: &, si fas foret,
Occidere potuit Roma. Cùm peste in Phrygum
Deuotus aris Iuuenis, innumeros trahens
Sub signa populos, inuias ferro & face
Patefecit Alpes: perque præruptas iugo
Pendente rupes: quale vix ipsis iter
Præpetibus antè patuit, Hesperiis vagum
Infudit oris agmen. Vt subita micans
De nube quatitur fulmen, & visum occupat:
Auidáque densum corripit flamma nemus.
Aut niuibus auctus qualis ex alto ruit
Per plana torrens vertice, & fractis rapax
Aggeribus arua sternit. Hunc, imo fauens
Erebo, meique vindicem & Patriæ Deos
Quoties rogaui! vota cecidere irrita.
Frustra Latino sanguine infectas tumens
Euoluit vndas Trebia. Nil clade est tuâ
Thrasumene factum. Vosque Romano inclytæ
Cruore Cannæ, parta nequicquam Appulis
Totilla campis spolia, & admensum decus
Stupuistis Equitum. Rebus inuidit Deus
Nimium secundis. Versa sors Libyæ retrò est.
Hûc vsque dominos sentit, & populi trucis
Imperia Pœnus patitur. Atque vtinam pati

Porro hæc liceret! staret infelix modo
Carthago tumidi iura victoris tremens!
Sed vetera prohibent fata. Sic nuper trium
Vidi Sororum pensa, & exhaustas colos
Agitare. Prohibet asper, atque odio tumens
Sæuúsque in iras hostis. Hic minimâ interim
Quod parte superest: lapsa quod nondum sibi
Incubuit, estque inane quod præter solum
Noménque gentis aliquid, impatiens fremit.
Quid leuia querimur? maius hæc quanto dies
Monstrum videbit! Quale Phasiacæ nefas
Ephyrea tellus vidit: arreptam viro
Spectante prolem mater (horrendum loquor)
Furibunda mater perimet. Ergo vnum malis
Restabat illud, sceleris vt tanti capax
Carthago fieres? Labe pollutam impiâ
Eadem & cadentem summa respiceret dies?
Iam nostra cesso excidia, iam cladem queri.
Ruat illa. Post tam sæua, tam dira obrui
Exempla meruit. Sed quid emissum freto
Phœbum moramur? Sentio: afflauit meos
Lux prima vultus. Hæret, ac tristi pauet
Occurrere vmbræ. Sede peregrina exigor;
Erebósque poscor. Fugio. Pallentem Stygā;
Et operta tenebris claustra Tartarei specus,
Et quicquid imo carcere vmbrarum latet
Tetrum, ac timendum, leuius hoc vrbis statu,
Et execrandi sceleris aspectu reor.

CHORVS.

HEV quàm perpetuum est nihil!
Quàm nunquam stabili gradu
Aeui sors fragilis manet!
Et quæ tuta putes, breui
Momento Deus obruit!
Florentis Libyæ caput,
Carthago decus vrbium;
Quo nil clarius occidens
Phœbus, nil oriens videt.
Hæc par, Roma, tibi, aut prior,
Par mundi Imperio, cadit
Præceps. Occidis, occidis
Imis eruta sedibus
Reginæ domus exulis.
Nec Saturnia te Iouis
Coniux eripere, & soror:
Nec quicquid Superum est, valet.
Vrgent irreuocabiles
Parcarum exitium coli.
,, *Stat defixa adamantinis*
,, *Clauis dura necessitas;*
,, *Et fati stabilis rigor,*
,, *Qui terram & mare continet;*
,, *Ac rerum dominos premens*
,, *Infra se superos habet.*

His impulsa, velut Noto
Confligente Aquilonibus
Quercus pulsa, vel ilex,
Carthago incubuit sibi.
Tandem Romulea face
Ardent Sidoniæ domus.
Et quamuis properet furens
Vulcanus, properet manu
Hostis, non patiens moræ;
Vrbis mole tamen minor
Lentos increpitat rogos.
Nec dum funditùs obrutam
Victor bis decimo propè
Ardentem queritur die.
At nunc funditus obruet:
Euictamque rapacibus
Flammis altiùs hauriet
Congestus cumulo cinis.
Sed quis-nam attonitas ferit
Aures iam propior sonus?
Tyrrhenique frequentior
Aeris perstrepuit fragor?
Dux signa Ausonius mouet.



ACTVS II.

Senator Carthaginienſis.



EV *prona medio puppis in pelago, diu*
Luctata, primis fluctibus feſſum vt latus
Submiſit; in ex agmine ingēti globus
Præruptus vndæ ſequitur, & grauidam premit
Magis, magíſque: donec incumbens ſuper
Grauiore decimus impete hanc fluctus voret.
Aut qualis alto vertice Aſtriferi ſenis,
Seu Thracis Hæmi, Cilicis aut Tauri iugis,
Luxata cæco turbine, aut longo ſilex
Adeſa ſenio, ſicubi auulſa trabi
Radice tandem potuit, immani ruens
Fragore quatitur. Talis aduerſis ſemel
Impulſa fatis, ſæcla poſt dena occidens,
Carthago peſſum rapitur, & longam trahit
Præceps ruinam. Triſte documentum ſumus
Quid iniqua poßint numina. O patria! O Tyri
Antiqua ſoboles! cinere mox denſo tepens
Nil præter vrbis nomen, & fœdam ſtruem,

Idémque sortis specimen infelix eris.
Nam quid moræ vltra est? Quantulum id ne sis vetat?
Pars quota superstes? Huccine hæc moles redit?
Quantæ reliquiis vrbis, ac gentis simul
Arx vna satis est? Has quoque assultans foris
Rapit hostis; intus hoste vel grauior fames
Pestifera carpit. Nulla consuetæ dapis,
Nec Cereris vsquam copia. In pecudum cibos,
Ignota mensis pabula humanis, agit
Rabies edendi. Pars humo virides hians
Pro fruge glebas scalpit, & ritu gregis
Effossa mandit gramina. Hic nemoris comas
Distringit. Ille coria nudatis vorat
Derepta clypeis. Quicquid iniectum ignibus
Mollire vulgus, frangere aut morsu potest;
Quodcúnque visu fœdum, & auditu graue est,
Vescum omne reputat. Nullus est generis pudor:
Nihílque stirpis iura cognatæ valent.
Semesa gnati manibus extorquet parens;
Gnatus parentis frusta. Nil fratrum mouet
Pietas, torique vincla sociati excidunt.
Vna hæc parandæ cura sollicitat dapis.
Vnúsque totos abripit sensus dolor.
Vecors per Arcem populus hûc illûc redit;
Reptátque Morti similis, & gressum explicans

Aegrè labantem titubat. Exangues genas
Obducta macies squallido infecit situ,
Vix sicca tenuis ossa defendit cutis;
Perque ipsa modo non viscera aspectus subit.
Vmbras vagari corporum, & rupto putes
Acheronte manes supera conuexa ingredi.
Ergo atra passim funera, & vulgi strues
Arcis per amplæ mœnia exanimis iacet:
Vel inuidenda sorte. Nec cassa æthere
Mandare flammis corpora, aut terræ vacat
Infodere: nec sat virium exhaustis fame
Viuis relictum est. Imparem officio manum
Nullus solutis expedit membris vigor.
Quo quisque vita functus incubuit loco,
Vice est sepulchri. Lumina in fletus rigent.
Deseruit oculos humor. Afflatu graues
Tabificus auras corripit latè vapor.
Quin clade in ipsa cladis accessu nouæ
Asdrubalis instat miles. Hic circum domos
Impunè volitans, quicquid abstrusum cibi est,
Furtímque latebris conditum, in lucem trahit:
Auidúsque præda potitur. Hinc cædis vagæ
Miseranda facies: dum nece alterna furens
Ferro nefandum militem Ciuis premit,
Miléstque Ciuem. Sic parum externis ruis
Carthago flammis? nec tuam in pestem satis
Romana poterant arma? Dij, patriæ quibus
Per tot secundis sæcla constiterant opes,

Aut Rutula Pœnis sceptra desertis fouent,
Aut fata tolerant hi quoque inuiti. Quid est,
Quod tendere vltra tot malis fractos libet?
Cur non manus authore compulsi Deo
Vel hoste dabimus? quid moræ excidio sumus?
Cur non superbæ gentis ad nutum datas
Iam sponte leges patimur, & portam Italo
Reseramus hosti? Nulla non leuior statu
Præsente sors est. Liceat extinctos semel-
Periisse. Quid me Latia prætentis iuuat
Arcere muris iacula? quid vastum aggerem
Obiicere, si par vrbis in gremio mali
Subeunda vis est? Luce me immissus palam
Ante ora prædo spoliet, atque inopem hauriat
Grassator ædem Numida? Nec tutò interim
Mutire liceat? Satius ah! satius mori est.
Sed ille quisnam occurrit, & lentum manu
Hastile gradiens crispat? Asdrubalem reor.
Video arma: clypeo medius ardescit draco.
Et picta tereti galea resplendet iuba.
Tum socia coniux hæret. Huic ire obuiam
Est impetus; probrisque vecordem insequi:
„ Licet arma iugulo intentet. Iratum leuant
„ Effusa pectus odia. Sed furtim priùs
Subductus aliquid aure suspensa legam.

Coniux Asdrubalis. Asdrubal.

QVID *hocce Coniux? Punicæ hunc vrbis sinum*
Hostis-ne dicam castra? quid vecors agis?
Quo tu labentem, & sponte præcipitem grauas
Patriam? efferatos cur fame, & luctu obrutos
Mœrore cumulas? Tecta cur sparsus Nomas,
Italusque miscet transfuga? hæc oculis vides
Crudelis, & videris? As. Incassum queri
Absiste mulier. Quippe nil rerum integrum est
Mole implicato. Miles in præsens ope
Retinendus omni. Qualibet ferro vagus
Grassetur. C. Hoc est regere? As. Ductori fidem
Dum præstet vni, cætera vt placitum est agat.
Diripiat, vrat, iugulet, occidat, trahat.
,, *C. Vbi iura, fas, Legesque? As. Bella inter silent.*
,, *Audire Leges strepitus armorum vetat.*
C. Ciuile regimen barbarum in morem geris?
A. Hoc *regere ciues barbaros more attinet.*
C. Amare quis te hac mente dominantem queat?
As. Dum præter hoc nil possit, impunè oderit.
,, *C. Concepta quærunt odia vindictæ locum.*

As. Tantum vt velint, obstare, ne faciant, libet.
C. Quos te tueri deceat in ciues furis?
As. Queis tuear, Vrbis inde custodes alo.
C. Custode quorsum, cuncta si rapias, eget?
As. Ne *rapiat hostis, vtor. C. Atque hostem exhibes.*
As. Peritura fuerant ista. C. Si per quos licet,
Aequi bonique facio. Sin per vos, graue est.
As. Graue, sed ferendum. C. Pulsa ceu rupes salo,
Obriguit. At te hoc vnicum exorem, fine.
Quo res loco sit summa, quæ Carthaginis
Miseranda facies; vrbe qui tota stupor,
Mœrórque cernis. Rebus hanc summis opem
Ne commodare pigeat: Hesperij pete
Alloquia supplex Consulis: quaquâ datum est,
Leni furentem; precibus euictum infimis
In fœdus adige: quod potes, quod non potes
Aggredere: in omnes te, Ducem vt par est, sagax
Conuerte facies. Empta quantiuis bene
Belli quies constabit. Hoc rerum in statu
Nil deprecandum est. A. Egó-ne seruilem in modum
Affusus, hostis genua Romani accidam?
Haud est meum. Famulare, qui potis est, trahat

Collo iugum reuinctus, & vilis manus
Obnoxiúsque tendat. Ego iussa edere,
Non ferre didici. C. Sorte, quod nescis modò,
Disces magistra. Iam-ne quid soleas, vacat
Spectare, vel quid deceat? A. Haud facio, abnuo.
Pudet ista per nos agere. Priuatum in caput
,,Transferre satius. C. Sæpè priuato negat,
,,Quod sponte Princeps, Principi oratus dabit
,,Afflicta veniam facilè maiestas sibi
,,Specie vel ipsa extorquet. A. Extundi rear
Si posse, nihilo imperia deformem magis.
Priùs hunc dehiscens terra condiderit virum,
Quàm turpe subeat munus. At procerũ coit
Hûc turba senior. Vade: bellorum viris
Curam relinque: mulier es. C. Noui Asdrubal
Sum mulier. At non ista muliebri facies
Animo profecta. Fors & auditum voles;
Quod nunc monentem pectore haud æquo capis.

Asdrubal. Senatores.
Maharbal Senator.

Saluete Proceres! Commodùm accitos gradum
,,Huc intulisse lætor. Ante oculos sita est
,,Fortuna cuique propria: Rectori obiacet
,,Communis. Hanc vos operis in partem vocat
Deposita mecum patria, maturos simul
Aeuo, atq; honorũ gradibus. Haud paruo spei

Pensanda summa est opere. Proin, si qua est
salus,
Quem bella finem, nostra quem capiat statum
Fortuna, mecũ quærite. Ma. Hoc demũ rogas?
Nempe & Senatum consulis? Tandem studet
Ciuilis esse. Regna tum populo approbat
Cùm nulla propè sunt. Liberam & gentem
Asdrubal,
Cùm periit, esse meminit. At legum, puto,
Ante huic, Patrúmque cura: quos dudum
opprimit,
Et quos peremit. Cùm tuus stricto salit
Mucrone miles, pérque semiruta vias
Bachatur vrbis, tectáque & prædam egerit:
Dum quæ hoste ab ipso vertis, in solos gerit
Intrepida ciues ora: dum media nihil
Tutum vrbe; dum te patriæ rectorem videns,
In æquo & hostem ponit, aut leuiùs putat
Etiam hunc timendum: voce dum sola absti-
nens
Sceptróque, Regis cætera, & domini refers,
Num te Senatus tangit? His vlla aduocas
Consulta? Sed vel sapere nunc porrò incipit;
Patrúmque placitis hæret. In medium loqui
Fas cuique tutò est. Dum tuam ad mentem
loquar,
Dum nil reluctor, fas quidem: at contra hiscere
Barbarica prohibent arma. Num tutò rear

Sentire quiduis posse, quem castra ambiant
Tuaque cohortes, armáque in iugulū statim
Ruitura cingant? Liberum vt vultum feras
Placidus, modúmque noris, alterius docet
Asdrubalis atrox pœna, quem falsi reum
Sceleris, nec vllo teste, nec facti quidem
Indice reuictum, vota remorantem tua
Turbæ furenti dedis. Inde alios specu
Atro coërces: verbere hos, mulcta, probris
Aliös, metu omnes cogis. Et verum iuuet
Post ista fari exempla? quodque aliter probet,
Memorare quisquam tantulo vitæ, ac necis
Discrimine ausit? Cladibus tantis rogas
Ecquid salutis restet. Hoc de te Asdrubal!
,, Scitare potius. Spectat authorem mali
,, Opis parandæ ratio. Quam solus foues
Restingue flammam solus. Hesperio foris
Quod ab hoste geritur: quod rei, & capitum periit
Face, ferro, abactu. Patria quod viuis ruit:
(Quanquam ista Ducis est culpa) sed nec iam potes
Præstare, nec nos querimur. Hoc propriè tuum est.
Quod in vrbe, quod te conscio, authore, auspice,
,, Addo & iubente tulimus. Hoc ipsum est scelus.

„ *Non vindicare scelera. Tu princeps prais.*
Quid iam Latinos verear? aut quid iam astrui
Tot posse (captos fingite) ærumnis putem?
Non si potitus arce, Gentiles ouans
Immittat Aquilas Ductor, æquè in me ferus
Peregrinum & hostem subeat. Ac belli vides
Ardorem ipso, saxa, cùm summè furit,
Nil muta præter, Vrbis & sedem graui
Designat odio: supplicum haud facili volet
Imbuere dextram sanguine. Hostilem in modũ
Sæuire saltem disce. Si veteris notam
Abolere nostro sanguine exilij cupis:
Distingue sontes. Quos tibi in pœnam legas,
Lethóque damnes, fare. Sin æquè iuuat
Sæuire in omnes penitùs, idque animo sedet:
Paulum opperire, dum tuis votis fames,
Et Roma seruit. Liberè, oppressos malis
Spirare si non detur, expirent sine.
Quô sæua vertis ora? quid toruum intuens
Terres minaci fronte? Men' solum queri,
Solum ista credis proloqui? Idem aliis dolor:
Non animus idem, non vigor. Vincit metus
Odium tui: disparque libertas pari
In mente residet. Vna cunctorum vice
Vox commodata est. Sen. Euge. Sen. Prò ciuem inclytum!
Nos vmbra tantum, & numerus. A. Iratos tibi

Deos oportet esse, qui mentem hanc, senex
Furiosè! dederint. O mihi multum hac breui
Doliture lingua! Tu-ne me? At verbis tenus
Pugnare vestrum est. Sen. Iurgia incassum,
& minæ
Iactantur. Hac tu, causa qui rixæ es prior,
Depone primus. Spiritus agedum truces,
Nec vtiles compesce. Quid pugnam cies?
,, Impune nemo Principem aggressus tulit.
As. Animum insolentem frangere, & stolidi
senis
Comprimere fastus, facile, si lubeat, viro est.
Nunc cura reuocat grauior. Arcete hunc pro-
cul.
Rapietur. Ma. Vt se non suum ad morem ferus
Componit ægrè! Mitis est tandem Asdrubal.
Quis posse credat? A. Hæc mihi infelix
malo
,, Domanda lingua est. Fræna quo laxes ma-
gis,
,, Hoc mage feroces colla luctantur iugo.
,, Excutere. Habenis melius adductis regas
,, Inobsequentes. Si quis est miles propè,
Succedat. Hunc vos rapite. Ma. Quæ tam
barbarum
Hyrcana monstrum Tigris, aut fœta algido
Specu profudit vrsa? quæ similem tulit
Olim Tyrannum regio? Non ille hospitium

Pharios repenti sanguine inspergens focos.
Aut ille aheno suetus inclusos boue
Torrere sontes Phalaris, aut qui praepetes
Æquè hospitali Thracius Princeps dape
Pauit quadrigas, tam ferum, ac tetrum induit,
Auidúmque caedis pectus. Vt perdant malè
Dij te Senatus carnifex, gentis probrum!
A. Etiam lacessis ore furibundo procax?
Iniicite vincla. Nostra quid possint scies
,, Imperia. S. Mentis feruidos motus preme.
,, Ne quid quod olim pigeat irata occupet.
,, Malus regendi interpres officij furor.
,, Quo plura facere liceat, hoc libeat minus.
A. Facessat. Haec tu capite, si viuo, lues.
Vos saniori mente, quod facto est opus
Consulite mecum. Nec mea hic causa labor
Susceptus angit. Nullus immemorem sui
Et obstinatum in fata peruincit timor.
Sed patria clades: cuius afflictae piget.
Piget cadentis Imperi, aetatis piget
Imbellis heu! sexûsque, confusa furens
Quem strage passim gladius hostilis metit.
Haec me vna trepidum cura, me imbellem facit:
Haec me, quod istis pessimum in fatis reor,
Hostem rogare cogit. Ergo iterum prece
Tentanda miseris venia, & Ausonius rigor
Emoliendus. Vna perculsis adhuc

Spes est salutis, si qua Legatus salus
Expressa veniat. Sen. Quis sibi has mandet vices?
A. Partes Deûm hæ sunt. Sen. Numinum hûc aliquid polo
Trahetur? A. Italum castra solenni frequens
Cultu Sacerdos adeat, & pacem roget.
Sen. Totum-ne portis obuiam effundes gregem?
A. Niuea seniles infula obtectum comas.
Sen. Quid petere porrò supplicē hoc ritu iubes?
A. Pœnis, quod vltra est, parcat, & socios sinat
Erigere muros Roma. Nos vnam velit
Patriam pacisci: cætera in Carthaginis
Cessura pretium. Sen. Nempe quod stante abnuit,
Et adhuc timenda fœdus, euersa dabit?
A. Tunc impotenti bellicus stimulos furor
Suffixit animo, castra cum nostris recens
Applicuit oris Consul; cui ctum malis
Nec dum Libyssæ gentis exciderat decus.
Nunc tot subactos forsan ærumnis Deus
Respiciet aliquis. Clade satiatus tumor
Violentus in se recidet. Est odiis datum
" Pœnarum abundè. Sæpe felici inuidens,
" Fouet ruentem. Sic resistentem petit
" Fremebundus: idem parcit afflictis Leo.

Sen. Non Vrbis hæc sunt fata: nec modico luet
Victoris iras. Donec excisas domos
Inuoluat vnus pariter, & ciues rogus;
Ruántque ab imo cuncta; vis nulla impetum
Latij resoluet Martis, aut Pœnum eximet.
Noui huius animos gentis, & regni sitim,
Et odia nostri generis, & veteres minas.
Quid? rerum in ipso cardine, ad votum exitu
Labente belli, referet infectos domum
Acer triumphos Ductor, atque operæ velit
Carere pretio? Fac tamen velle. Hoc Patrum
Conscripta fieri turba, vel populus sinat,
Queis cæca stimulis pectus obliquis fodit
Inuidia? Patrij quid tenax odij Cato.
Faxque vna Libyæ? Bella se viuo excuti
Patietur? Erras. Nulla viuaces dies
Restinguet iras. A. Vota si fallit furor
Barbaricus, & nos fœdere angusto premit;
,, Cedamus vltrò. Fugere quod nequeas, pati
,, Tandem coactus disce. Si pacem neget
Manente patria: quam nec extinctus queam
Eripere, saluo potius ac viuo ruat.
Vestra illa, proceres, cura. Me miles manet:
Qui cùm necis vitæque sors eadem Duci est.
Hanc si precantum nullus expediat labor.
Nec ferre tutum liceat hinc nobis pedem;
Nostrûm est leuis iactura, si reliquis cauent.

Agedum hæc parentur. Inde, cùm signum dabo,
Operata sacris turba sese omnis foras,
Qua quisque veste insignis & cultu nitet,
Italum ad statiua fundat, & ramos ferat
Vittâ implicatos. Trepidus en gressum citat
Huc ille in armis transfuga.

Asdrubal. Transfugæ

O socij, quibus
Spes nulla, vel suprema, quô miseros vocat
Fortuna, mecum audete. Si nostris Deus
Meliora rebus pertinax odij negat,
Si nil licet sperare, fas pugnæ immori:
Fas non inultos cadere: fas aliquid viris
Tentare dignum: non nece informi leues
Profundere animas, membra ferali cruce,
Crepituque tortos verberum, aut scisso pecus:
Ceu molle, iugulo, reste vel collo inditâ,
Lictoris atras perpeti Ausonij manus.
At ista nostrum quilibet captus luet.
Aut busta propter vile in inferias caput
Impensus Orco, ludicro immani truces
Occulos tenebit. Tr. Non ita. Armati priùs
Quouis ruamus. Triste successus ferant
Pretium sui, luctúmque cum nostro hauriat
Cruore victor. Si qua spes; tutum locus

Dabit hic receptum. Nulla si superest salus,
Dabit sepulcrum. Quis scit hæc clusos Deus
An & aliquis arce videat? Et Româ genus
Ardente Phrygium Gallica immunis face
Arx vna texit. M. Alme Latonæ nepos
Phœbíque soboles, qui laborantes, opem
Rogatus, ægros arte Pæoniâ leuas!
Tua nos adimus templa: nos sede in tuâ
Perfugia vitæ capere vis sæua impulit.
Ades, & salubri mitis auxilio foue.
A. Vos summa templi prendite. Hac nostrum genus
Thalamíque consors parte sepositi latent.

CHORVS.

DIVE, *quem morbis facilem leuandis*
Sole quæ primo rubet, & cadenti,
Concinit tellus roseo decentem
Flore iuuentæ!
Siue te gratis Amynea campis
Ripa, Sperchiúsque sonans, vel Oetæ
Nobilis tangit specus, aut niualis
Culmina Pindi.
Seu Phrygi lustrata colis Tyranno
Regna, quæ pontum prohibente iungi
Summouent Isthmo, geminíque frangunt
Æquoris vndas.

Quâ ferax Bacchi, domitrixque equorum
Erigit celsas Epidaurus arces.
Siue ades præsens magis, & vocantes
Proximus audis.
Lenis afflictos placidúsque solue
Casibus tantis. Prohibe Latinas
Hinc faces, hinc tu gladios, & hostem
Flecte superbum.
Cælitum proles, patriáque felix
Arte: quem terris properante partu
Præcocem fudit prope funerata
Phthia Coronis.
Furta dum Nymphæ male visa amantis
Edidit Phœbo meliùs latenti
Conscius culpæ modò pullus, olim
Candidus ales.
Cæcus an falsò est amor? En futuri
Præscius vates sua damna solus
„ *Nescit. At quantum nocet impotentis*
„ *Gratia linguæ!*
Quippe contento Pataræus arcu
Tela, quæ ceruos capreasque contra
Tendere assuerat, ferus, heu! Puellæ
Pectore fixit.
Icta vix ferro cecidit; cruentæ
Iam Deum cædis piget: odit arcus,
Et manum in pœnas facilem, indicemque
Criminis odit.

Vtque opem frustra tulit, & iacentem
Fouit; exangui sua matris aluo
Semina eduxit; mediòque natum
Extulit igni.

Hunc specu vasto tenerum biformis
Excipit Chiron, medicásque alumnum
Edocet vires: mala quæ, quibusque
Mitiget herbis.

Creuit qas sensim Iuuenis per artes.
Quem necis vitæque Parens Auúsque
Arbitrum sanxit. Sed & hunt potenii
Terruit ausu:

Fraude eum Cressa lacerum sub auras
Virbium infernis reuocauit vmbris:
Iuráque horrendæ Stygis, & Deorum
Fœdera rupit

Non tulit tantum decus. & trisulca
Cuspide insontem violentus hausit
Iuppiter: quóque hic alium retraxit,
Mersit Auerno.

Dite sed rursum domito, profundi
Claustra perfringens Erebi, verendum
Reddidit cœlo caput, & paternis
Intulit astris.

Inclytum saluè iubar! ô colende
Semper! ô vitæ dator! & leuamen
Vnicum fessis! Adime imminenti
Corpora letho.



ACTVS TERTIVS

Marcus Æmilius Roma veniens.
Scipio.



LARI propago generis, inuicti nepos
Ductoris, æquè inuictus: ingens Martiæ
Decus vrbis, & tutamen, æternùm Deos
Tibi Roma faciles optat, & saluum iubet
Valere, per te salua. S. Quod pro me expetit,
Sibi præstat. Huic dum spiritus fragiles reget
Vitalis artus, luce dùm æthereâ fruar,
Vni iuuat vixisse. Quid porrò? M. tuis
Gratatur armis, teque pro merito fauens
Macte esse forti gaudet Imperio Patrum
Consessus. Sc. Afros ecquid ob victos Deis
Supplicia Romæ indicta? M. Turba obiit frequens:
Puráque oberrans veste, frondenti comas
Implica lauro, sacráque instaurans, Ioui
Superísque grates habuit. Vnà omnis virûm,
Matrúmque populus; Virginum innupti greges,

Fudêre ad aras vota. Geniali dape
Instructa mensis templa dispositis dies
Patuere senos. Hoc quoque Imperij cape
Tibi prorogati pignus, auspiciis ruat
Donec tuis Carthago, nec Libyâ super
Quicquam pauendum restet. Sc. Hic mecum labor
Fuerit. M. Quod instat, penitùs inimicam erui
Vrbem Senatus mandat. Hæc tacitè in sinum
Commissa per me sedulô vt praestes rogat.
Pax huic, fidesque nulla, nec veniæ locus,
Nec vlla sunto fœdera. In flammas eat
Carthago, & altus condat euersam cinis.
Cœlum execranda pestis aspectu leua,
Terrore patriam. S. Sponte currentem excitas.
M. Video, nec addam his plura. Quin veterum cohors
Septena Libycis missa supplendis venit.
Subuecta pariter farra, & in belli moras
Quod attributum est æris. S. Hoc me animo iuuat
Certare Patriæ, quo meis rebus fauet.

Legati Sacerdotes. Scipio.

L. Æquande Superis Ductor! Hûc Tyriâ sacer
Legatus arce tendit, & veniam rogat.
Sc. Quænam hûc subegit causa? Le. Quæ te prosperis

„ Rebus fluentem lubrica infida monet
„ Timere sortis: quóque te extollit magis
„ Hoc te magis contrahere, nec duro pede
„ Aliena premere fata, metuentem Deos
„ Parum fideles. Sæpe Romanos quidem
Carthago supplex adiit. Hæ gentis vices,
Hæc generis olim fata. Sic nunquam tamen
Supplex adiuit. Maximum hæc vobis dies
Nouúmque prima decoris accessum parit.
Homines solebat antè. Nunc pro se Deos
Allegat. Hos tu stare nobiscum, hos focis
Arísque pulsos genibus aduolui tuis,
Vnà & precari crede: Téne ergo Aphrica
Sceptris tumentem patria, & Herculei supra
Finem laboris spatia metantem imperi'
In has Latino Marte ruituram vices
Sperare potuit vllus, vt dextra genu
Hostile prendens, supplici instares prece,
Non imminenti vt colla subducas iugo,
Dominum-ue renuas: non vt exhaustis leuet
Seruile pretium capitis. Heu! grauior tibi
Sors deprecanda est. Tantulum vt saluam velit
Miserámque victor, mole pugnandum ardua.
Hac summa voti, ne solo afflictam tenus,
Rapidisque adustam facibus in cinerem, & leues
Verti fauillas iubeat. At, si qua est adhuc
Pietas, malisque pectus humanis dolens,

Te te ista species ta tangat. Hanc vrbem aspice:
Huc ora verte Scipio: hac quo sit loco,
,, Quo fuerit olim, expende. Sunt certa in-
uicem
,, Sua cuique genti tempora. Excidimus modo.
,, Sic vos potestis. Fragilis est fati tenor.
Nec Roma semper steterit. Et viuat quidem
Opulenta, felix, diues, & nunquam tui
Carthago! similis. Cuncta sub pedibus regi,
,, Vertique videat: nos quoque. In nostris tamē,
,, Quid vos timere deceat, ærumnis vides.
,, Quo te premi deuictus exemplo velis,
,, Modo in hoste victor statue. Quanquam
hostem loquor?
Ne credite hostes. Error inuitos facit,
Non causa: socios fœdus, & toties data
Vtrinque dextræ; quosque cepistis Deos,
Et quos dedistis obsides quondam bonæ
Fidei, & sequestres. Proinde ciuili haud minus
Sociale bellum geritur. In socios potes
Tum sæuus esse? Támne flammatum in suos
Versat furorem Roma? Nam dici suos
Nec iniqua nobis adimet. Vt libitum est, age
Opprimite, ruite. Donec etiamnum sumus,
Vestri sumus, fuimusque. Stant fixa æreis
Monimenta tabulis, pactáque amborum
manent,
Fas sit precor dixisse, non vlla recens

Temerata fraude. Vetera quid frustra exequar,
Geminíque causas Martis? Hæc nostros penes
Maneant Parentes. Pace bis rupta nocens
Carthago fuerit. Nil meam hoc causam grauat:
Talem sciebat, iura cum victis Auus
Tuus ille posuit: cum tot exitio licet
Furiata procerum Roma, tot strage vrbium,
Per hunc pepercit. Tempore ex illo nefas
Nullum peractum: si quod est visum tamen,
Non omnium hoc est. Scelera paucorum innocens
Heu! turba luimus. Adde periuri dolos
Numidæ. Quod vrbi crimen, aut culpam obiicis?
Quid misera potuit? Tempore impositum suo
Ferri tributum petitis? Elephantos dari?
Paremus. Exin stirpe meliori lares
Viduare patrios: déque mœrentum sinu
Natos parentum trahere compulsi, obsides
Heu! chara vobis pignora, & spem Punicæ,
Florémque gentis dedimus. Hinc castris iubet
Inferre Consul arma, & exhausto rates
Deripere portu. Subdoli ad nutum Ducis
Aduehimus. Opibus sola de cunctis sibi
Carthago reliqua fuerat. Hoc vestra in manu est,
Vtrum supersit. Per tot impensas, nihil
Præter salutem pacta, & incolumes Deos,

Non obtinebit? nec datam exſoluet fidem
Iamiam bilinguis Roma? quam labem inſeras
Agnoſce. Cauſam ſi minus noſtram probas;
Propriæ faueto. Quid quòd hæc ſtirpus tuæ eſt,
Auíque munus ſalua? Quid damnas Auum?
Quid ſtemma patrium carpis? & magna amputas
Monimenta laudis? Ille ſubiuncta iugo
Contentus vrbe, maius erepta tulit
Pretium, decúſque. Nomen huic Libya inclytum,
Non tam manu perdomita, quàm ſoſpes dedit.
Dabit & nepoti. Vincet hunc etiam nepos,
Si fracta cuius Marte Carthago occidit,
Iterum hoc iubente ſurgat, & priſco gradu
Rediuiua ſtare mœnia, atque arces velit.
Quod tu, per illam dexteram, Publi, precor;
Per iniqua Pœnis numina, & Troia, ac Tyro
Profugos penates: perque nullius manu
Mouenda patrum buſta, manéſque integros.
Permitte tandem. Veſtra ſic ſemper Deos
Habeat ſecundos Roma. Sic nullos tremant
Tarpeia Gallos culmina. Hæc Diuûm ſator
Armatus orat falce procurua ſenex.
Hoſpéſque quondam veſter. Hoc qui cœlites
Trifida coercet cuſpide. Hoc chara petit
Pro gente ſupplex Coniugis magni ſoror.
Hoc lucis almæ genitor. Hoc Phœbo ſatus,

Quem

*Quem Graia colubri terga pandentem colit
Epidaurus. Vltrà si peti pœnas placet;
Seruata pœnas, & quidem ingentes, luet,
Ne metue: viuet misera. Nil clade hac potes
Astruere grauius, esse crudelis potes.*

*Sc. Non me esse tumido, læta quem rerum ef-
ferant
Fastu insolentem: quem superbifico iuuet
Calcare gressu, Marte quos fractos semel
Vel merita sors exturbat; haud equidem reor
Latere quenquam. Nec mihi ferro asperum,
Aut silice, credo, pectus obducta riget.
Sed imperantis iussa me patriæ nefas
Violare. Si vos fœdus ex animo irritum
Sarcire, non iam Punica optatis fide:
Præsto est: nihil me plura cunctantem loqui,
Vos terere luctu tempus imbelli expedit.
Facilis via est, breuisque. Quæ geminus tulit,
In verba pridem Consul, hæc eadem modò
In verba refero. Qualibet Patriæ nouas
Optare sedes intus, & pelago procul
Transferre iubeo: continens tutò solum
Decimúsque Libyæ parte sepositos lapis
Excipiet. Illic ratibus, & portu carens,
Secura dites Cereris, & Bacchi vbere
Carthago glebas pacis operata excolet
Studiis. Propinquo donec alluitur mari
Suspecta Roma est. Pignore haud alio potest*

,, *Fidei esse cautum. Cætera vt præstet, metum*
,, *Quis præstet vnquã? Nec face alterius bene*
,, *Splendere Phœbi, gemina nec Mundus queat*
,, *Ferre, aut veteri sceptra. Le. Cõsortem times:*
Nullum timebit Roma, si talem timet.
An hic iacentis? hic data in præceps rogus?
Cinis ille? molis illa confusæ strues?
Congesta temerè saxa in hoc sese dabunt?
Tantos resument spiritus? Non tam leui
Pœni ruina trahimur. Euersas opes,
Vel si ipsa cupiant fata, quo steterant loco
Nunquam reponent. S. Vrbe nil tecum integra
Certum est pacisci. Le. Patere quod dudum ratum est
Manere fœdus. S. Fraude quod vestra irritum est?
,, *Le. Purgare possum. S. Quando confessum exprimas*
,, *Ab sonte facinus? Le. Pœna, si sontes sumus,*
,, *Quæ seruitute est grauior? S. Arbitrio decet*
,, *Dominantis illam ferre. Le. Quid salua iubes*
Patria? Sc. Esse idipsum salua quo dempto nequit;
Mutanda sedes. Le. Nempe bis geminis propè
Romam ante sæclis posita? Sc. Sic Romæ expedit.
Le. Hanc perdis vrbem? S. Meritane genti exprobrem,

Diis imputetur. Le. Hos tibi iratos puta:
Vetera auspicato templa si moueas statu.
S. Sic quos Saguntus habuit irasci Deos
Primùm necesse est. Le. Scelera si plectis, luat
Qui fecit. S. Et quæ fouit. Le. In quorum caput
Sauire cupias ede; quos iubeas tibi
„ Dedi rebelles. S. Scelera, nisi causam amputas,
„ Capútque, frustra reprimis. Hæc quæ animos facit,
Nouísque rebus acuit, haud fido priùs
Vrbs est situ mouenda. Le. Qua culpa nocens?
S. Fecit nocentes. Le. Esse quam nusquam iubes,
Sociam memento. S. Memini & infidam semel:
Iterúmque, & vltrâ. Le. Parce; ne sæui obsecro.
Per quicquid omne fuimus, & quicquid sumus
Miserere Consul. S. Miseret: hac iuris tenus
Nostri est; nec vltra tendere, aut Romæ licet
Obstare placitis. Desine: immotum est sedet.
Arma arma properè miles. Vrgendum est opus.
Dum tempus & res aperit optatis viam.
Le. Inducias paulisper, & sæui moras
Belli sequestres, iussa dum ferimus, rogo.

S. *Abite properè.* Le. *Nulla redeūdi mora est.*
S. *Nisi qui imperata faxit, hûc nemo ampliùs*
Efferre reducem mœnibus gressum velit.

Scipio. Milites.

NVNC *fida, socij, pectora, expertum manu,*
Animísque robur, vltimam hanc operam date
Patriæ, mihi, vobísque. Nos Tyriæ arbitros
Fraudis; suique vindices decoris parens
Communis armat. Stirpe, non opibus, quidem
Hoc æstimandum est nomen: vtque húmilis fuat
Tenuisve, si vel capite præstanda est, caput
Letho offerendum. Causa, non sors quæritur
Parentis. At quas & parens stimulos dabit,
Et Roma? Quem non illa securum sui,
Hæc Martis auidum reddat? Hæc cuius minor
Vtrasque Solis fama compleuit domos
Nutu obtinētis cuncta? Quam triplicis tremit,
Sentitque mundi regio? quæ vinci insolens,
Tot vbique fudit arma? tot clausas vago
Patefecit vrbes Marte? tot partos retrô
Numerat triumphos, quosque vicini Italûm
Dedere tractus, quosque trans pontum vltimo
Oriente populi: quicquid Argolicæ tenent
Ditione gentes: quicquid extremi colit

Populator orbis Macedo: quæ Rhodopes arat,
Hæmíque cultor? Adde pollentis sinus
Asiæ, Syrósque: quicquid obuersum maris
Aut claudit ingens litus, aut clausum mari est.
Illyrica taceo regna: nec pelagi loquor
Superi recessus. Téque Gallorum genus
Infrane: tum quodcunque maiori imminens
Pelago, cadente Solis afflatur rota.
Hæc ipsa, quam nos quærimus, bello haud semel
Subacta Libya est. Decora quid tanta exigant,
Ante ora cuique est, voce nec nostra indiget.
Tot illa rerum fama, tot spoliis ouans,
Titulísque diues gloria, in vestris, viri,
Commissa manibus, pectore in vestro sedet.
Nec longa belli tædia, aut segnes moræ.
Affectus hæret cardine in summo labor.
Est in propinquo meta. Perfunctis leui
Merces periclo magna: sed maior tamén
In laude fructus. Agite, nunc gentis caput,
Libyæ illa domitrix, æmula Imperij, potens
Carthago, gemini sæua dominatrix maris;
Quóque orbe rutilum Phœbus emenso iubar
Restinguit; & quod media terrarum secat,
Illa illa rerum tumida, violenta, impotens.
Quodque omne supra est crimē, infandi domus
Annibalis, imis sedidus præceps ruat.
Perdenda penitus: pessima excidio lues

Abolenda. Dudum has tot Ducum inferias
petunt,
Tot ciuium vmbræ: strage quos fœda Africus
Grassator hausit; terna dum lustra incubans
Vagum per vrbes agmen Ausonias rapit.
Lentóque columen Marte Romanum atterit.
Quid, quos Pyrenes arduæ obuersus iugo
Fraude interemptos Celtiber campus tegit?
Geminúm-ne belli fulmen, & nostri inclytum
Par generis, acres morte Scipiadas nepos
Errare inulta patiar? Haud viuus quidem.
M. Tua nos alacres, quocumque vocas,
Quocumque moues, castra sequemur.
Duc age, Publi. Duc quâ Phœbo
Surgente rubet decolor Indus.
Quâ septeno gurgite Ganges
Flauas pelago miscet arenas.
Quâ nobilibus pendula ramis
Dites carpunt vellera Seres,
Duc quâ gelido Parrhasis axe
Lentos sitiens contrahit orbes,
Nullóque rigent hospite campi.
Duc quâ pronâ luce renatus
Aperit seros Hesperus ignes.
Duc quâ feruent propiore Deo
Terto Æthiopes crine minaces.
Seu nos terra, seu ferre mari
Romana iubes, te Duce, signa.

Aquiláque tuos praeeunte vocas,
Nec terra tuos, nec mare, Publi,
Arcere queat. Fortibus ausis
Par semper erit viuida virtus.

Legati Carthag. redeunt.

O CVIVS *armis subdita Ausonias potens*
Auxit secures Libya, Scipiadum genus!
Roma secundis, Punicae infensis rei
Exorte Superis. Quod malis mininum potes
Impendere, audi. Né-ve quod victi preces
Gemitúsque toties ferimus, afflictos tuis
„ Contemne pedibus. Hanc habent magnae indolem,
„ Et auida laudis pectora, vt miseros leuent,
„ Premant feroces. Non ego vt patriam precor,
Sedém-ve dones veterem; vt intactas adhuc
Ferróque & auidis subtrahas flammis domos.
Et hoc tamen decebat orantes Deos
Audire, & animos regere, plus capta satis
Vrbe obsecutum. Nam quid excisa amplius
Assequeris? in vos imperi damnum redit.
Vestrum omne, vestrum est, Africae quicquid perit.
Dolor est pudórque noster. At nil iam integrum est
Ardente tota, sede ni prisca iacens-

Rursum excitetur. Hoc quoque infensus negas?
Nec iam precamur. Vertite, obruite omnia:
Vrbis reliquias spargite: infelix Tyri
Nusquam propago, nusquam Agenoreæ domus
Vasto supersit cinere cumulatus labor.
„ Quodcunque victor statuit, hoc victis graue est
„ Tolerare, & est necesse. Sed vel iam pati
Liceat: date odiis compotes nostri modum.
Donate miseros luce: spoliatos, vagos,
Patria carentes, quotquot excisa super
Restamus vrbe, Byrsa quos viuos tegit,
Errare quouis sinite. Seu tellus placet
Peregrina; seu quam vetere summotam nouæ
Mandatis Vrbi. Sc. Transfugâ excepto nihil
Moramur omnes. Solus hic pœnas dabit.
Le. Parce, Imperator, parce. Sc. Nec veniam Ioui
Deuota Stygio capita, nec lethi fugam
Meruere. L. Precibus, Consul, extremis faue.
Sc. Absiste. L. Patere id vnicum obtineam. Sc. Veto
Vltra precari. Quid teris fando diem?
Abite. Ciues Arce quô visum est, eant
Migrentque soli. Densa fugitiuum gregem
Hinc inde ferro accincta prætexat cohors:
Ne quâ fugam dilapsus in turba Nomas
Corripiat. Huic tu insiste: me castris iter

Præuertere opus est. Ne quid hinc vallum petens
,, Captiuus Afer turbet. Incautos Duces
,, Nec opina paruo damna momento premunt.
Tu, dum ista præsens obeo, custodes caue
Vsquam hîc remittant: neu quis iniussu forâs
Statione miles abeat. Ille hostis loco
Mihi sit, scelúsque morte properatâ luat.

Tribunus Militum.

NEQVE *ipse veteris iura militiæ palàm*
Concidere, & artis bellicæ eximium, situ
Carpente, florem ruere, dum viuo, sinam.
Pudet obsoleti decoris, & Romæ quibus
Stetêre vires, studia, moré sque improbo
Pessum ire luxu. Me-ne spectante audeat
Prodire vallo miles, & prædas sequi,
Quo fert libido quemque, nec signo vagus
Præeúnte quoquam, nec duce? Effusum putes
Agmen latronum. Mox vbi bellum vocat;
Vbi ventum ad hostes, armáque: audito tremunt
Clangore litui: dextera imbellis stupet:
Attonitus hæret gressus, atque vni rigent
Fugæ explicata genua: deformi labat
,, Pallore vultus. Sit meis signis procul
,, Rapax, iners, eneruis, atque hostem pauens,

„ *Sociis pauendus: pronus in ventrem, lucri*
„ *Cupidus, stupríſq; merſus: haud animo ſatis*
„ *Oculiſq. & aure competens; prædæ inſtitor.*
„ *Qui ſæua fremitu bella, quàm ſomnos, init*
„ *Leuiore: quiſquis pendulas gradiens manus,*
„ *Pedem acie in ipſa iactat: aut quiſquis regi*
„ *Indocilis, ipſos regere ductores cupit.*
„ *Meus arma tantum miles, obſequiũ, & fidẽ,*
„ *Robúrque præſtet: cætera in manibus ſinat*
„ *Verti imperantis. Priſca non alia magis*
Cenſenda dote ſecla: Sic magnis ferax
Succreuit animis, ſéque in immenſum extulit
Rerum ille compos populus. His fretus ſuos
Tergemina mundi ſpatia ſub faſces dedit.
Cùm nil ſtatiuis clauſa priuatâ domo
Diſtaret acies: moris & patrij tenax
Nutum ad regentis miles exuere impiger,
Aut capere ſueſſet arma: cum læſa aſſerens
Imperia, gnati in colla diſtrictas parens
Quateret ſecures. Tale præ cunctis feram
Opibus decus, ſperémque (quo cœptum eſt gradu)
Vel Scipione poſſe, vel nullo Herculè
Ductore recipi. Quantus ô ſuperi fragor!
Quis fremitus arce eſt? Porta digreſſu patet.
Numeroſa ponte turba laxato emicat,
Feruétque trepidans. Obice ſubmoto velut
Celſa columbæ turre præcipites volant

Stridente penna. Transfugam in medio notet
Stipata circum Legio: ne furtim latens
Effugiat. Aere signa Tyrrheno sonent.

Chorus Carthaginiensium.

QVÆNAM *patria cade carentes*
Habitanda manent regna? Quis Afro
Sub Sole locus? Quæ plaga mundi
Peregrina vocat? Proximus aruis
Campus Phariis; vbi cornigero
Inclyta tellus Ammone viret?
Sterilésque inter lucus arenas
Riguam subter defendit humum;
Annique graues temperat æstus?
An quæ pelago propiore vagas
Deserta vident litora Syrtes?
Quà tergeminis sacra Philænis
Monimenta pia conscia mortis
Certo fines limite signant?
An Dulichio lustrata Duci.
Gratâque moras arbore nectens?
Quáque Hesperias silua sorores
Diti celebrat fertilis auro?
Aut quæ gelido fœcunda Acabe
Vicinus arat rura Macaus?
Aut quæ Charitum montibus ortus
Breuiore lauat Cinyphus alueo?

Vel cum infusis amnibus auctus
Maiore subit gurgite pontum?
An Sarranæ mœnia Leptis?
Oeáque portu tuta Garaphio?
Zetha? vel altis Hedaphta iugis
Aspera? an arcto discreta freto
Naufraga Menix?
An Palladio nobilis ortu
Quâ stagna secat cærula Triton?
Vbi prærupti celsa Vasaleti
Culmina surgunt? Quâ perpetuus
Nigrante iugo Mampsarus horret?
Quáque arentes colle dirempto
Stringit tacitus Bagrada ripas?
An quâ occiduo sole tepescit
Dites spectans Africa Iberos?
An quæ virides Thabraca latè
Saltus aperit? Regia-ne Hippo?
An Cyrtha potens? Quaque pererrat
Longo serpens Ampsaga flexu?
An cornipedum fœcunda parens
Massyla vocat terra? Minórne,
An maior Atlas, Maurus vterque:
Et vterque pigro frigore torpens?
Quisnam Herculeo gurgite scissas
Abylen nostrûm, Calpénque petet?
Quis cognatis Gadibus exul,
Vel Bati tuo flumine sistet?

Vel Ibere tuo? Quem flaua Tagi
Radiante vocat ripa metallo?
Cui clara nouis Corduba muris?
Cui Carthago iam prima dabit
Certas profugo figere sedes?
An & aëriæ iuga Pyrenes
Adeunda? Truces an mage Gallos
Sparsi petimus? Quælibet orbis
Me regna iuuant: dùm procul absit
Hostile solum: dùm Roma procul,
Terraque latebris hospita Diuûm.
Sin extorres hæc quoque Pœnos
Sortita capit; pestis pariter
Atque ira Deum, quacunque ferar
Parte sequantur; Romáque tandem
Miseræ gentis contage ruat.



ACTVS IV.

Marcus Æmilius, Tribunus Militum.



ATTONITA *rebus pectora immensis stupent.*
Vix Herculè ipse, vix sibi aspectus fidem

Indulget, & quæ gesta iam video, geri
Potuisse nondum credo. Pro! quantum breui
Vobis peractum est! In quot Aemilio satus
Surgit triumphos Iuuenis! Est nostra tamen
Quod prisca titulis grauida, & armorum ferax
Inuideat ætas; Roma quo certet sibi:
Aut se ipsa quondam superet. Hoc *Decios habet*
Fabiosque in vno. Nec *suo tantum ferat*
Cursore sese. Téque Romanæ parens
Secunde gentis; cuius Alpinâ face
Succensa fortis mœnia erexit labor.
Nec *te ferox Torquate, vel paruo potens*
Serrane potiùs iactet: aut curuo Duces
Missos aratro: quos triumphali manu
Paterna iuncto rura versantes boue
Ebur ad curule vexit, & trabeæ decus,
Fascésque. Fors huic vnus è numero Parens,
Æmathius obici domitor, aut Libycus potest.
Sed vtrumque post victurus, æquatis comes
Modò fidus vrget gradibus: huic certè pedum
Impressa paribus signa describit notis.
Decorísque eodem metitur è campo seges.
O te beatam Roma! si proprium fauor
Tibi hoc secundi munus annuerit Iouis!
Hunc si potenti seruet Imperio virum,
Secura quouis orbe perrupto ingredi,

Pelago tremenda pariter ac terris potes.
Non te rebellis Asia, non Danaûm leues,
Macedúmque populi: non freta emensus nouo
Terrebit Afer Marte: non citimæ Ligur
Suppositus Alpi: quique summotus iugis
Opposita rerum claustra terrifico minax
Perfringit ausu Gallus: aut summi plaga
Quem cohibet orbis colle disseptum altero,
Pugnax Iberus. Imperi' in tutum dabit,
Quæ promouebit, sceptra. Quid solidum tenens
Florentis animi robur, atque æui integer
Perficiet idem, tale qui primâ dedit
Specimen iuuenta? T. Magna & auditu stupes.
,, Fateor. Sed aures, Marce, plus oculis hebent.
Quid si videres; parsque gestorum fores?
,, Angusta laus est omnis, ac vero minor,
,, Aliena quàm vox firmat. Occulti trahit
,, Liuoris aliquid fama. M. Non famâ tenus
Equidem ista didici: quanquam & hæc vera fauet;
Vtcunque meritis cedat. Imo oculis datum est
Subijcere coràm. Quaquà iter Libya fuit,
Quascunque ad oras feruido exclusi salo
Appulimus, illîc fixa magnanimi patent
Monimenta Iuuenis. Hîc quoq. antecacti caput
Cumulúmque Martis video. Quàm vasta parum

Ex vrbe superest ! T. Quantulum hinc cernis ? Latet
Pars magna veri. M. Sed quid hic latè occupans
Agger profundum mole transuersa secat?
T. Licet hinc laboris pondus exacti æstimes:
Quantóque nobis posita quo cernis loco
Carthago steterit. Haud satis vallo fuit
Circûm obsideri mœnia, & terra quati.
Aliquid paratum est opere consueto altius.
Turbata mundi fœdera: In medias solum
Excurrit vndas: frænáque inuitum pati
Romana didicit pelagus. M. Hæc quorsum freto
Imposita moles? T. Hîc, vbi eductos vides
Scopulos, in arcum rupe sinuata rubet
Cadente Phœbo portus: amborum hunc breuis
Laterum hinc, & illinc Insula obtentu facit.
Hûc ne subirent gurgite ex alto rates,
Obstructus omnis aditus. M. Antè istud frequens
Romæ ferebat rumor: atque ipso magis
Visu obstupesco. Num sub incœpto moras
Inuexit hostis? T. Classe disposita stetit
Nauale in armis agmen, & præstò fuit.
Pars opere feruet cætera: hic manibus graues
Subuehere silices certat: hic litus fodit.
Hic in profundum robore impacto cauas

Molitus arcas, pelagus inclusum egerit.
Hic vacua dorso spatia producto replet.
Hûc gemina castris Legio desertis coït;
Latiique quicquid iuris adscriptum est, dies
Noctésque inhærent pariter, & magno explicant
Assidua nisu brachia. Hæc Pœnus procul
Ridere primò. Mox vbi sensim vado
Prouecta moles arduo increuit iugo;
Attonitus hæret. Nec metu fractus tamen
Summittit animos: vetere sed cluso, recens
Præfoditur vrbi portus: vbi parte excipit
Dextra renatum vastior pontus diem;
Nec vlla potis est mole prætenta latus
Obstruere ab alto machina. Hæc puerùm manus
Imbellis; hæc oblitus annorum senex
Sexúsque mulier, clàm manu aggressi struunt
Cæco latentes obice. Bissenas quoque
Decies carinas texere abiegna trabe.
Sectóque pergunt robore (hos pridem domi
Seposita ad vsus cuncta.) Postquam intus labor
Peractus omnis mense, vix credas, stetit
Gemino: repentè faucibus laxis foràs
Patefacta puppes ora constratas vomunt;
Pronóque fundunt gurgite. At primùm Italis
Monstri hoc videri simile: tot fusas simul,
Vel classe ademptâ, tandiu ignoto rates

Latuisse portu. Iámque perculsi dolis
Trepidare. Quòd si remige aduerso citas
Torquere proras, rostráque extemplò foret
Incutere pauidis animus, haud modica accipi
Clades subinde potuit. Hoc Superi benè,
Et amica Romæ fata: quòd cerni procul
Contentus, illâ substitit Pœnus die;
Speciéque ludens Martis, & varios agens
Flexus in orbem, proximo illusit salo.
M. Quid tum? profare quæso. Quis pugnæ
modus?
Aut quæ rates fortuna Sidonias suis
„ Disiecit vndis? Dulce perfunctos malis
„ Meminisse. Tr. Vix se tertia extulerat dies:
Summósque primùm strinxerat colles iubar,
Cum Tyria portu classis Eoo patens
Prouecta in æquor milite instructo subiit.
Nec segnis alio littore exultans venit
Ausonia pubes. Nauticus circùm fragor
Crebrescit. Omne ratibus impulsis latet
Feruétque pelagus. Canet adductis frequens
Conuulsa remis vnda, & insissum pari
Sulco dehiscit æquor. Vt ventum propè est,
Prætoriáque bellicum è prorâ chlamys
Punicea signum sustulit; rauco fremit
Terribilis ære bucina. Hinc versis atrox
Commissa rostris pugna. Nunc proram tenax
Illisa tundit prora: nunc lateri latus

Inhæret. Illîc vulnere obliquam tridens
Ferrum carinam frangit. Hæ prorsùm modò
Remis subactæ; modò retrò auulsæ legunt,
Obeuntque in ictus spatia. Ceu vasta ferunt
Mediis reuulsas fluctibus Symplegadas
Coiisse fronte. Stuppeæ ardescunt faces.
Vdóque viuax roboré ambustas vapor
Lentus carinas torret: ínque ipsis furit
Vulcanus vndis. Mistus obducit polum
Ater fauillâ nimbus, & Solem eripit.
Pars tela manibus spargit, aut vnco rates
Morsu implicat, trahitque. Nec ferro manus
Onerosa: nec recuruus innexâ lupus
Cessat catena. Lacera detersis natat
Aegrè illa tonsis. Saucium hæc ponto latus
Summittit, & compage disrupta graues
Per vulnus vndas haurit. Hanc imum tegit
Superante fluctu pelagus. Exundat cruor.
Fœdoque Nereus sanguine infectus rubet.
Nec par vbique Martis, aut simplex furor,
Cædísque facies vna. Missilibus cadunt
Alij, foróque pondere exanimi premunt.
Hos flamma crepitans naue succensa vorat;
Piceaque condit nube. Semineces freto
Luctantur alij: quásque ferrato ligant
Iniecta nexu vincula, ingens corporum
Coire strages gurgite in medio vetat.
Hæc inter anceps pugna. Conserti inuicem

Alterna simili damna momento ferunt,
Capiuntque. Paribus hinc & hinc victoria
Librata pennis, dubia quò vergat, manet.
Quippe vnus omnes ardor in cædes agit.
Sed patria Pœnos, spésque diffisos suis
Postrema rebus acuit: Ausonios pudor,
Bellique in vno posita conflictu acriùs
Pugnare summa cogit. At nostrus graues
Tardóque pinus pondere, obnixæ salo
Difficilè in vsus cedere; atque ægrè obsequi
Torquente clauo. Turba Sidonias minor
Circum triremes stabat, haud longo impetum
Fregisse gyro docilis, & raptim leues
Inhibere remos: siue præeuntem assequi;
Seu capere dextrâ libeat, aut læuâ fugam.
Non aliud æquè prælio ex illo rates
Turbauit Italas. Namque diuersæ ruunt
Quacunque pugna concitæ. Hâc rapidis fugax
Instat Liburnis Afer, & volucres citrô
Vltróque lembos fundit. Hi cursu obuias
Vrgere; mox anteire; tùm comites latus
Aequare; stantes petere; fugientes sequi.
Fugere insequentes. Sæpè pendentem ærea
Demetere clauum falce; nec lentas minùs
Mutilare tonsas, fodere vel rostro cauos
Vteri recessus. Indè subducti ocyus
Ictum occupare, vincláque. Ergo inopes fremunt

Frustrata nostri iacula, & elusas faces,
Teretesque manicas. Iámque glomeratis coit
Dispersa ratibus classis, & Martem agmine
Instaurat. Vndis donec emersus polum
Iam Luce prona superat emeritum premens
Titana Vesper. Tyria tùm portum phalanx,
Vbi signa reditus æris increpuit fragor,
Connixa remis pariter & velis petit,
Reditura primo Sole. Ponè instans ruit
Lentáque verrens cærula insequitur trabe
Romanus. Olli classe conferta, sinus
Dum se in patentes fundere, atque imos student
Penetrare portus; dúmque subeuntem prior
Præuertere hostem quisque turbatus cupit,
Densantur aditu; seque collisæ premunt
Trudũtque puppes. Quò malũm auersus redis?
Ecce hostis; eia, rumpe. Sic paßim intonant.
Et iam hostis aderat. Crebra iam ritu niuis
Spargit per auras tela. Iam summas quatit
Lacerátque puppes. Fit fuga. Hũc trepidi volant
Atque hũc, relictis faucibus. Pars se aggere
Immissa patulo recipit. Hic classi locus,
Statioque nautis prima: quo sueti aduenæ
Leuare fessas onere deposito rates,
Dum pace licuit. Hũc fuga elapsi citas
Vertunt carinas, armáque expediunt. Subit

Romanus. Exin pugna, ceu primùm foret,
Crudeſcit atrox. Spiſſa vicinum aggerem,
Muróſque turba complet, & crebris furit
Miſſilibus. At non vlla præcipites valent
Cohibere noſtros tela. Iam cluſos ſinu,
Iam non fugaces verbere & roſtris ſecant.
Quater auſa claſſis ruere, & impreſſæ viam
Aperire proræ turbine. In ſeſe quater
Ferro, ſagittis, facibus, & ſaxis procul
Excuſſa rediit. Nec nihil geſtum. Mari
Depreſſa pars eſt: pars graui illiſu labat
Rimis fatiſcens. Ac niſi inductis diem
Nox atra tenebris claudat, & denſæ tegant
Noctiuaga nubes Aſtra, deprenſos adhuc
Concutere pergant. Mutua implicitos nece
Quàm non Latinis grata, tam Tyriis fauens
Nox atra dirimit. Inde ſe in portus retrò
Defenſa tenebris claſſis optatos dedit.
At luce noſter poſtera inſtructus redit,
Vacuoque inhæret aggeri. Hunc pugna exitum
Naualis habuit. M. Vrbe quî porro datum eſt
Tandem potiri? fare age. T. Occiduo ſitus
Ab Sole Cothon maria proſpectat duo,
Naualibuſque fluctus in totidem, cauos
Penetrans receſſus, caute prętentâ, ſilet.
Pars vna Boreæ obuerſa: pars gracilem, Notis
Oppoſita, linguam ſpectat. Hûc ſtrepitu priùs

Directa classis tendere: exscensu impiger
Arcêre Pœnus. Catera oblitum, rapi
Huc agmen omne. Fronte dùm sola ruit
Sidonius, oram puppe circùm acta legens
Altum capessit Caius, ac sese clepit.
Dextrà hinc reflectens litus à laua capit
Custode vacuum. Mox tubæ auditus fragor;
Clamórque; & armis arma terribili sonant
Concussa fremitu: quo fugam exanimis metu
Rapit hostis, Euro citior, aut quæ Parthico
Arcu sagita volitat; & nostris simul
Pugna, insuláque cedit. Vt pauidas canum
Latratus alto nemore proturbat feras,
Cùm posita circùm retia imbelles stupent:
Quâ picta teretes pinna distinguit plagas.
Sic Libyca ad vrbem ponè conspectis cohors
Diffugit Italis. Nec moram attoniti ferunt;
Pars melior armis nuda proiectis natat,
Arctúmque superat gurgitem. Haud paucos tamen
Seu littore ipso; seu vado implicitos adhuc
Vi Latius arcet transitu. Hi sparsim aggere
Telorum, ab alto, grandine oppressi cadunt.
Tùm noster vna irrumpit, & flamma viam,
Ferróque reserat. M. Nata Scipiadum domus
Excidium in huius Gentis. Hûc frustrà appuli,
Ceu video. Nam quæ ex Vrbe Conscriptis fero
Decreta Patribus, rebus ante actis venit.

Asdrubal ex Arce profugus.

NVM quem obuium istic habeo? Quis medius fugæ
Incurrit? an me transfuga è templo Nomas
Prospicere potis est? Videor. Hîc arma exuam:
Tegménque ponam capitis, & ferro asperum
Thoraca, ne quis norit ex habitu Ducem.
Quem tueor. En Romanus. In latebras feror.

Tribunus Militum. Nuncius. M. Æmilius.

Quô tam citatus raperis? N. Ex voto Deis
Auspicibus actum est. Vacua Sidonia manu
Byrsa obtinetur. Fixa iam medio aggere
Romana stant vexilla. Tr. Sed belli caput
Quonam Asdrubal, milésque desertor loco est?
N. Stat arce media rupibus cinctum arduis,
Aditúque templum haud facile, Phœbigenæ sacer
Vbi blandus adytis colitur arcanis draco.
Hoc transfuga hostis opere munitum & situ
Asdrubale petiit comite. Nec paruo licet
Subire damno. Quippe prærupto silex
Adesa latere calle vix arcto viam,

Fallente gressu, verticem ad summum facit.
Tum prona ab alto saxa superantes iugum,
Et iacula quatiunt. Mar. Igne correptum ardeat.
Tr. Nunc primus illos feruor, & venia simul,
Vitæque spes adempta furibundos necem
„ Oppetere stimulat. Impetus magnos habet
„ Expers priores ira. Qui sperat nihil,
Perinde nil iam metuit. Aliquanto impotens
Spatio residat æstus. Haud multum tamen
Moræ trahendum est. Interim excubias vigil
Quartanus omnes obeat ad cliui exitus.
Ne clausus vsquam transfuga in tutum euolet.

Asdrubal è latebra prodiens.

ABSCESSIT. *Ibo, méque Ductori offeram*
Supplex Latino. Quo miser properas? Dabit
Nempe ille veniam? Perimet illusum: & cruce,
Ferró-ve plectet. Vrbe vastata ferum
Fors mitigabit pectus: & nimium sibi
In nos furor permisit. Exhaustis cadent
Violenta pœnis odia. Quid demens agis?
Sic credis hosti? Quô tuum imprudens caput
Committis? At cui? quem-ve? Sic notus tibi
Olim hostis; idem victor? Ergo illum times,

Qui iam pepercit? Nam quid in causâ pari
Distinguat vnum? Sed Ducem infensus velit
Vt esse saluum vereor. Et, quo non benè
Carthago stante iaceat, in patria metus
Hunc sospitē vltrô linquat. Adde Italos neci
Per me cruentæ traditos. Piget, ah! piget
Sæuisse tantum, cùm sub aspectum Ducis
Per mille fluxit tela captiuus cruor.
Quid nunc rear? Facilésne post tantum nefas
Sperem Latinos? Qualibet profugus late.
Fuge. Quò reuertar? Quas petam extorris plagas?
Vrbem-ne? Quam vis ignium rapidis cremat
Complexa flammis? Templa perfugio legam?
Modo quæ reliqui: quæque postremò hosticus
Peruadet ensis? Regna longinqua expetam?
Per Latia dubium castra tentandum est iter
Quî fallere autem dabitur? Obsedit viam
Crebra hinc, & inde statio. Quid demū sequar?
Nec stare tuto hîc; fugere nec tutò datur.
Ibo, ibo ad hostem. Quid paras? redeo: feror.
Reuertor, adeo. Feruet agitato mari
Par mentis æstus. Genua-ne acclinis solo
Inimica stringam manibus? Vt domini tremens
Feram superbi iussa? Quid Pœni interim?
Quid Libya dicet? Quid fuga hortatrix, tori
Animosa consors? cuius ad gemitus ferox

Magnifica dederam verba. Sed iam spiritus
Omitte veteres. Debitam fato indolem,
Morésque patere. Cede vel Superis. Pudet
„ Hostem precari? Vanus afflictis pudor.
„ Felix decori seruiat, vitæ miser.

Bithyas. Asdrubal.

INTER *tumultum lapsus, & strepitum, sacra*
Tandem profugi sede. Dij! factum benè
Quòd eruistis. Pro! mihi quantus fuit
Latêre nostros pariter, atque hostes labor!
Hâc nunc eundum est, vulgus vt captum asse-
quar;
Quo iam Asdrubal tetendit: & nullo reor
Comitante, sed me conscio. Vrgendum est iter.
Hi templa teneant, flebiles lethi moras,
„ Pereántque soli. Stulta in extremis fides.
„ Sibi quisque primùm, cætera oblitus, vacet.
A. Quis ille ab arce tendit? Ipse adeò est fugæ
Mihi consiliique socius. Aduentu beas.
Fidus mearum particeps rerum veni.
B. Dij me, Imperator, téque, quod voti est
caput,
Eripere pergant. Pars quidem elapsis adhuc
Spei peracta est. Cætera in fatis sedent.
A. Quî tu arce demum euadis? B. Insessum
pauens

Dum Numida cliuum munit, & templi obiice
Præfossa firmat latera, dum vellit gradus,
Trepidos fefelli, rupis abruptæ cauo;
Qua patula sterili crate ramorum viret
Caprificus, altum subrigens trunco nemus.
Inde alligata reste demissus solo,
Obstante nullo, fugio. Tu necdum subis
Optata Rutulûm castra. Quid lentus manes?
A. Nempe animus inter dubia curarum æstuat.
Vt tremulus vndæ fulgor aduerso micans
Hûc Sole & illûc volitat: haud animo secus
Partes in omnes consili' incertus feror.
B. Quis te metus? quæ cura distractum rotat?
A. Leuiora tantis nulla quod casus malis
Perfugia monstret. B. Rursus in dubium vocas,
Quòd iam necesse est? A. Pars mihi est luctus, geri
Quòd iam necesse est. B. Turpe num veniam putas
Orare? non est turpe. Credatur tamen.
Hoc tantus omne dedecus victor leuat.
Quid? cedere illi? flectere hunc precibus probrum est;
Cui cedit Orbis? Asia quem dominum colit?
Cui Libya seruit? Nam quid Europam loquar?
Olim hæc habenas sentit. Hîc quanti iugo

Flexere Reges colla! quot stratos humi
Erexit hic, qui parcere afflictis solet,
Calcare tumidos populus! A. Esto, animus sibi
Humile imperabit aliquid, atque infrà virum.
Quid deinde? parcet ille? B. Iam factum puta.
A. Quianā hæc futura credis? B. Expertus scio.
Mihi nota gentis pectora. A. At ne vindices
In me, suorum, iustus irritet dolor.
B. Maiora quanto meritus euasit tamen
Barcæus Heros? A. Post necem extorris luit.
B. Bis iam rebellis, armáque in dominos ciens
Rediuiua periit. A. Fors triumphales ouans
Dux ante currus colla deuinctum trahet.
Celebrísq; gradiar pōpa. B. Quid pronus labat
In peius animus? Tam secus capto potest
Accidere, quàm quod metuis. A. Antè equidem mori,
Adigíque ad vmbras fulmine impacto velim,
Quàm me iste tali sorte damnatum rapi
Sol videat. Hoc tu facilè peruincas prece.

Scipio. Asdrubal. Bithyas.

S. VTINAM *rebelles Libyæ in exēplū capi,*
Ducisq; viuos detur! A. *Exāgues tremor*
Pererrat artus. Fugio: conspectum horreo.
Consul propinquat: fasce substricto præit
Onustus ecce Lictor. B. Aude, & supplices

Prætende palmas. A. Maximum ô sæcli decus!
Aequale superis nomen! ex alto breuis
Quod me statu fortuna depressum exteris
Subiecit armis: fas Deos etiam mihi
Odisse iniquos. Hoc agi grates decet,
Quod me tuis subiecit. Inuictus, ferox
Tibi vincor vni, & flector. En supplex cado.
Miserêre. Vitam, quod dari minimum potest,
Peto, maximúmque. Vota non vltrà patent.
S. Tu-ne ille dux es Asdrubal? A. Famulum
voca.
Ducis superbum est nomen: hoc sorte est meâ
Fatísque dignum. Recipe perculsum, alleua.
Tu mihi Deorum es instar. Heu! fidos malè
Quos Pœnus habuit. Munus illorum occupa,
Aut vince. Quos tu Diis vel inuitis potes
Seruare, non te perdere inuito queant.
Nam se tueri haud posse iamdudum probant.
Ingens decus, vestrûmque, quod nemo ambiat;
Describere orbis fata: quò leuius tibi
Subesse nostra patior. En rursum accido,
Patriâ exul, opibus, decore, & Imperio carens,
Queis tu precor contentus, hæc solùm refer,
Quæ digna te sunt spolia. S. Quid victoriæ
Decus omne molli degener luctu eleuas
Muliebris animæ? dúmque te nimium premis,
Viles triumphos capite ab ignauo facis?
Omitte planctus: languidas voces preme,

Dignúmque pectus hoste Romano exhibe.
Quid fata purgas? quid-ue fortunæ approbas
Peccantis in te arbitria? nec temerè doces,
Aut merita præter clade luctifica obrutum
,, Cecidisse temet. Plurimum, ut constet sibi,
,, Afflicta virtus laudis inuito capit
,, Vel ab hoste. Contrà pauida, sit felix licet,
,, Mens decoris expers iudice Ausonio iacet.
A. Talem puderet esse, nisi tantus fores.
Nil humile, Romæ quicquid impēsum est, reor
Supplexque nimiùm. Sed tui & generis memor
Ignosce. S. Vitam poscis? A. Vnum illud peto.
S. Post tot peracta scelera? A. Sum fateor nocens.
Sed hostis. Hoc si crimen est, tecum est mihi
Commune. S. Non hîc arma, non Libyam, Asdrubal,
Per te rebellem, solita nec Martis queror.
Quicquid ferum, crudele, sæuum, atrox tulit,
Simplex quod hostis faceret; hoc nulli imputo.
(Quamquam nec ipsum hoc scelere post fœdus vacat)
Est grauius, aliud quô tuum excurrit nefas,
Dirúmque, nec iam hostile; quod pœnis furens
Romana subdis capita. Te ne ausum meos
Ante ora Ciues mœnibus tortos palàm
Laniare? Quod tu ob crimen insontes necas?
Quæ culpa? qui mos iste? quæ belli vices?

Si vinci ab hoste, si capi facinus vocas.
Eadem penes te est noxa. Quo vultu, Asdrubal!
Qua fronte veniam? quæque rescindis prior
Commercia optas? A. Fateor, hoc ingens dolor.
Hoc ira vecors suasit. Et merui quidem,
,, Sed pœnitet fecisse. Tu quanto altiùs
,, Fortuna te prouexit. Hoc animo minus
,, Obsequere: quósque milite, ac ferro domas,
,, Virtute supera. Per tuam dextram, & quibus
Aduoluor vltrô, genua, Scipiade! precor.
S. Ne metue, dabitur vita. Scit tumidos meus
Compescere ensis: idem & oppressis sciet
Consulere. A. Viles aliquis in Libya locus
Latebras dabit. Permitte quocunque exulem
Errare. S. Posthac videro. A. Accedat data
Hoc quoque saluti; compede ærata grauem
Ne me ad triumphos pompa solennes vehat.
A. Animum labantem, & vana trepidantem erige.
I, refice lassum miles, & castris loca.

Legatus Scipionis. Scipio.

MAGNANIME *Cōsul; Libyca felici affero*
Confecta sorte bella. Quàm longa est, tuas

Horret secures Africa, & patitur iugum.
Dominósque quondam ruere, nunc hostes, Tyri
Gaudet colonos. S. Læta successu nouo
Cumulantur. O me compotem! O voti reum!
Nihíl-ne tanta ex gente, tot sparsa oppidis
Hostile superest? L. Quicquid hac Latiis tenus
Obstiterat armis: vrbium quicquid fuit
Pœno implicatum fœdere, in partes venit.
Hos sponte adactos Imperi fulgor trahit,
Tuúmque, Publi, nomen. Hos gentis retrò
Sublapsa dominæ fata, & iratis decus
Superis ademptum: longa plerosque impulit
Obsidio. Nil iam hostile, nil Pœno fauens
Vtrinque pelagi claudit oppositi latus.
Hinc quà reducto penitus excurrit sinu
Vocana Siculum terra prospiciens fretum.
Sacrata nautis templa vbi Diuûm aliger
Interpres aperit; quíque producti æquoris
Vasto propinquus Adrymam flexu colit.
Leptísque, & ingens Thapsus, & patrio sacer
Ammone cuneus. Vsuláque, & bello impiger
Bysacius: & qui naufragas captat rates
Nunquam quieto Machrys obuersus mari.
Exin sequaci rabida quâ Syrtis vado
Maior, minórque feruet, & fundo æstuans
Anceps arena fluctus instabiles ciet.
Hæc omnis Aquilas ora victrices pauet,

Ad vsque Fratrum busta. Parte alia procul
Pelago repostum media quem tellus capit,
Siti perustus colla submisit Libys,
Fœdúsque missis sponte Legatis petiit.
Et quem feracis compotem glebæ alluit
Cinyphius amnis. Tuque pacato Dolops
Vicine Mauro. Quique lethales nepæ
Contemnit ictus, virus & morsu inditum
Barbaricus ore Psyllus admoto trahit.
Quáque arua sterili prona despectat iugo
Sublimis Ater. Adiice Argoum petens
Quacunque litus serpit, & cursu vago
Tergemina Triton stagna Palladius facit.
Tum quicquid alto gurgite obliquus secat
Squallente ripa Bagrada: vbi vasto specu
Effusa monstri terga squamiferi horruit
Ductore miles Regulo, & tota feram
Inuasit acie. Nec minor nostro seges
Cessit triumpho; parte qua Solem obiacens
Trans Vtica Pœnus mœnia occiduum videt.
S. Sed perduelles Marte dum suo quatis,
Quid amica populi regna? quàm pacti tenax
Fideíque Numida? L. Quàm solet. Dubius natat
Hûc Fratrum & illûc animus, atque hosti palam
Colloquia iungũt. Quippe dum Numidas citrà
Porrecta bello legimus, haud nostras iit

Fallax ad aures rumor, hinc missos fidem
Tentasse Pœnos; donáque, & miseræ preces
Portasse gentis, mœnibus circùm vt datos
Inopinus Italos quateret à tergo Nomas.
S. Quæ fraudis illis pretia? quid monstrant spei?
L. In fœdus, agri parte conductos, trahunt.
,, *S. Ruente patria? L. Quidlibet cogit sequi*
Regni, & salutis ratio. S. Nec clam me instrui
Olim ista fuerat. Antè prospexi dolos.
L. Nunc capta postquam mœnia, & fractos vident
Cecidiſse Tyrios, ne qua sit sceleris fides,
Obsequia simulant. Geminus hùc adeo comes
,, *Legatus illinc venit. S. Infidum genus*
,, *Captare tempus didicit, & partes trahi*
,, *In fortiores. Mox vbi aduersa increpant,*
,, *Pacti secundis immemor rebus fauet.*

Nuncius. Scipio.

FERVENT *tumultu castra. Cōmotos minax*
Sūmo Tribunus vix bene imperio domat.
Audax vbique murmur: & iam vim prope est.
S. Quæ causa, vel quis author? N. Erepto fremunt
Asdrubale: dedi hunc; hunc rapi ad pœnas iubent,

Pro tot suorum cæde: vix iugulo abstinent,
Vix pectore ensem. Verũ ades, perge, aduola,
Furibunda prohibe tela. Si viuum cupis;
Succurre. S. Viuum cupio: prohibendus furor.
Vade, antecede. Vita, si nondum occubat,
Seruetur. Ego te præpeti gressu sequor.

CHORVS.

,, MVLTIS *tarda fuit pœna nocentibus:*
,, *Nullis vana fuit. Quo grauior mora est,*
,, *Maiore hoc feriens vulnere conficit.*
Seu, quos prisca tulit vita hominum, pij
Manes, depositũ corporibus, vagos
Hũc illũc taciti corripiunt gradus;
Placatíque bonis sontibus imminent.
Seu dextra cubitum, frenáque sustinens
Vltrix terga premit Diua, potentibus
Obscurísque eadem. Cui comes addita est
Flecti nescia Lex, & rigidi tenax
Iuris, nec sceleri blanda Seueritas,
Et Vindicta ferox, Pœnáque liuido
Interfusa genas sanguine: concolor
Corpus palla tegit: stant oculi ignibus.
Ferrum dextra gerit, vincláque. Nec graue
,, *Plumbum, aut vncus abest. Sed meritis licet*
,, *Vindex suppliciis abstineat Deus,*

» *Nec legum moueat cura, neque arbiter*
» *Iuris sollicitet Gnosius, impotens*
» *Quem vis Iudicio subtrahit, aut fauor;*
» *Non cunctata suum pœna obiit nefas;*
» *Qua seipsam scelerum conscia mens premit.*
» *Cessent iura licet. Sufficit hac sibi*
» *Intùs bella mouens: quam labor anxius*
» *Et tristes furiæ, curáque pertinax*
» *Inter spémque metúmque exanimem rapit.*
» *Non iucunda quies, non placida vice*
» *Alternus recreat peruigilem sopor,*
» *Dum nox atra freto condiderit diem.*
» *Cùm stratum Tyrio molliter in toro,*
» *Bisque Afro saturum murice conspicis*
» *Suspensum ex humeris tegmen, & vltimi*
» *Quod Seres patriis arboribus legunt.*
» *Cum gemmata merum pocula: cùm dapes*
» *Signis præbuerint vasa rigentia.*
» *Ædes cum Pario marmore fulgurant:*
» *Laxatæque fores castra clientium*
» *Matutina vomunt: cùm tumidum latus*
» *Passim albata tegit turba, beatius*
» *Iures esse nihil. Lætior hic foro*
» *Incultus volitat sordibus hispidus;*
» *Cùm versat trepidos vrna capax reos.*
» *Hic quem fauus agit Lictor, & vngula*
» *Damnatum cruciat, vel face carnifex,*
» *Infelix minùs est. Quidnam aliud rear*

Illas vipereis crinibus obsitas
Pœnarúmque malis artifices Deas:
Quæ torto miseros verbere territant,
Intentántque oculis sanguineas faces?
,, Culpæ est pœna grauis culpa. Minacibus
,, Hæ terrent stimulis, hæ pauidos agunt.
Hæ dirum Asdrubalem tot nece Ciuium
Pollutum furiæ præcipitem auferunt;
Pœnásque innocui sanguinis expetunt.
Verùm has ille sibi, quod satis est, dedit.
Quas pridem meruit, nunc aliis dabit.
Seu primus rapiet militis hunc furor.
Seu pompæ veniet legitimus comes;
Et vinctum rigidis brachia nexibus
Captiuum patriis mœnibus inuehet
Curru Scipiades quadriiugo ferox.
Mox atro domitus carcere, compedis
Æternæ-ve trahet pondera; vel sacro
Præceps colle ruens funeris indigos
Artus Hesperiis alitibus dabit.



ACTVS QVINTVS.

CONIVX ASDRVBALIS.

Scena I.

„ PROH *fama veri nescia, & falsi tenax!*
„ *Etiámne iniquum sapere nos vulgus negat?*
„ *Per te & scelestum fœminæ arguitur genus,*
„ *Expérsque fidei? Quantulū est miseris tamen,*
„ *Quod facere liceat? noster & quanto viris*
„ *Leuiora sexus peccat? Exiguis, mali*
„ *Fas si quid vltra geritur, in rebus latet:*
„ *Nec damna spectat publica, aut summæ intereſt.*
„ *At non virilis parua nequitiæ comes,*
„ *Paruóque luitur noxa. Quos rerum penes*
„ *Status, horum in omnes culpa, vel virtus redit.*
„ *Sed culpa potiûs. Hoc suo infelix malo*
Experta patria est. Quicquid ærumnæ accidit.
Bis gemina quidquid messis aduersi tulit,
Libycum quod armis columen externis labat,

Quod Phrygia moles flãma Sidonias cremat,
Quod misera periit, hoc Duci adscribat suo:
Ducis ignis ille est. Testor euersa rogos,
Cineréſque patriæ, Ciuium & manes ſinu
Fumantis hauſtos: vos quoque imbelles Deos,
Aut non amicos: me nihil rerum inscia,
Nihil tacente tulimus: & vidi prior;
Nec credita vnquam cladis interpres fui.
Scit illa Libya peſtis, Imperij lues,
Fax ſola patriæ. Nam quid appellem virum,
Qui me meóſque prodit? Ah! quoties tibi
Haud falſa cecini! Nunc fidem euẽtus probat,
Nunc vera vates, ſed tui quondam arguor,
,, Priamea virgo! ſimilis. Est aliquod malis
,, Solamen hæc ſenſiſſe. Quâ potui tenus
Præſtare mulier; precibus, hortatu, minis,
Lacrymis tetendi. Sed meus quales ſolet,
Admouit aures transfuga, & fruſtrà piæ
Ciuis querelas fronte non alia tulit,
Quam rigida cautes, cùm laceſſentes ſalo
Turbante fluctus frangit; aut Maurus niues
Ventóſque ſenior capite ſublimi excipit.
Et nunc relicta coniuge, & gnatis abit,
Patriáque, Princeps perfidus, dirus parens,
Coniux nefandus. Nec quibus latebras locis,
Aut quos receſſus captet ignauus, ſcio.
Fugiſſe ad hoſtes rumor incertus fremit,
Muſſatque ſecum miles. Aſt alij procul

Per media Rutulûm tela mentito ferunt
Cultu euolasse sospitem, & nostro mari
Summota petere. Cui mage accredas? utrum
Placuisse castra profugo, an externas putes
Migrasse in oras? Terror vtrinque, & propè
Par est periclum: siue deprensum abstrahat
Romanus, vltrò creditum in laqueos caput
Seu dederit. At quo fretus, aut qua spe dabit?
Parum est quod hostis; hostium quod dux,
parum est.
Quid? causa belli pariter, & belli metus
Alterius? audax? tumidus? infrænis? vafer?
Rebus nouis addictus? haud veterum tenax?
Suspectus? olim inuisus effugiet? Quid? hic
Pubis Latinæ carnifex, faciles sibi
Speret Latinos? quasque gentili illitas
Cruore Consul meminit, admittat manus?
Non faciet vnquam. Supplici mors est viro
Olim parata; sceleribus tantis quidem
Certè haud semel cōmissa. Nec sortem abnuo,
Nec deprecor. Scelestus, execrabilis
Vbicumque, quales meruit, inueniat Deos;
Dignúmque capiti funus arcessat suo.

Lycas seruus. Coniux Asdrubalis.

QVIS credat vnquam? Cuncta quæ fie-
ri prius

Haud posse dixi, posse iam fieri arbitror.
Nunc vnda flammas pascat, & gelidis rapax
Iungatur vndis flamma. Nunc summus niue
Exhaustus Atlas Sole feruenti æstuet.
Nunc terra pisces, pelagus educat feras,
Rebus diem nox referat, & noctem dies.
Dubitāte nil nil me fiet. Ausonium Asdrubal
Supplex ad hostem profugit! C. Ah! lenta enecat
Nimium mora, quem certa scitatum Lycam
Sollicita misi. Me-ne & hic spreta sibi,
,, Herum secutus, consulit? Paucos habent
,, Aduersa fidos, prospera infidos tegunt.
Est-ne ille? Sic est. Fare. Quid rerum Lyca?
L. Quod vêre nunquam. C. Quò meus coniux abiit?
L. Hostem vocabis. Coniugis nomen perit.
C. Quianam? L. Inter hostes degit. C. Occultè, an palam
Immissus? L. Adiit spontè, & oblatus Duci est.
C. Veniamne porro Consul oblato dedit?
L. Dedit: & iacentem, genuáque amplexum solo
Leuauit. C. Æquè hoc miles ac Ductor probat?
L. Fremuit suorum stragis horrendæ memor;
Nec facilè capti cæde carnificis manus
Abstinuit? C. Vtinam faceret! atque vna duos

Nece vindicaret! L. Pars dari in flammas iubet.
Obruere saxis alius, aut sudibus parat.
Pars, socia quales corpora in pœnas agit,
Candente stringi forcipe, & liquida pice
Ambusta spargi membra; vel tumulo infodi
Viuum imperat. Ductoris ad nutum stetit
Compressus ægrè fremitus. C. O factum malè,
Quod adhuc superstes spirat! L. Hac, cultu Italum
Simulante, castra ingressus, hisce oculis modò
Subiecta memoro. C. Vade, & hæc sociis refer.
L. Haud placida forsan, digna sed scitu eloquar.

Vxor Asdrubalis sola.

O QVICQVID *orbes numinum æthereos regis,*
Hominúmque voluis fata! Si quisquam tamen
Humana Superûm curat, & nostrâ Deus
Causâ laborat aliquis: & certè ferunt
Esse aliquem, in omnes sceptra qui teneat, Iouem,
Sæuo tremendum fulmine. Hunc, quiqui est, voco,
Testórque. Túne hoc cernis? hoc pateris nefas?
Quô fulmen illud? quô Giganteo faces

Cruore pastas? sceleris aut quò vindices
Reponis iras segnis? Vbi fandi arbiter
Ille & nefandi est oculus? Vbi cælum tenens
Iustitia, fas, pudórque? Quid testor Deos?
Quid surda pulso numina, & lentas nimis
Precariásque perfidi pœnas moror
Capitis? Leue est, serúmque. Mihi pœna est opus
Præsente: per te hanc quære: totas pectori
Permitte habenas. Si quod ignotum est adhuc,
Nec vsitatum facinus: aut, alio licet
Authore factum, si quod etiamnum est atrox,
Et par furentis fœminæ ingenio scelus,
Quod nulla post te faciat, hoc vel tu priòr
Inuade, vel postrema. Nec sexu minor
Nimium extimesce. Fraude tam turpi nocens,
His noster animis exuit coniux virum:
Tu fœminam depone. Sic vecors abiit?
Sic me relicta fugit? exciso lare,
Patriáque solam? perditã? afflictam? obrutam?
Hac ciuium inter funera? hos vrbis rogos?
Saxa & ruinas inter? has Numidum manus?
Barbaricáque inter arma, deuotum neci
Deseruit agmen? Quod meum ob facinus? nisi
Quod nimium amaui, quod fidem impendi, comes
Aßidua: quòd te voce, consilio trucem,
Et obstinatum in scelera nequicquam fouens
Ad sana volui flectere. Has reddis vices

Ingrate? Socij iura sic seruas tori?
Hæc connubij sunt fœdera? In furias agor.
Sæuitque rabie mixtus, & crescit dolor.
Non sic Vesœui clausa, vel Siculi specus
Ardet caminis flamma. Non Coro fretum
Agitante tantos vnda se in fluctus ciet.
Non stricta iaculo Tigris, aut raptis fremens
Leæna catulis impetu tanto insilit
Prædone viso, quantus hunc animum coquit
Aestus, furórque. Non ego vlciscar? Sciet
Quid læsa possit mulier. Inuadam omnia.
Perdam, aut peribo. Siccine illudi iuuat?
Consulere capiti voluit? Vnà & coniugem
Seruare decuit. Digna sed letho fuit
Perire coniux? Liberos certè parens
Eripere secum potuit. Ignauum caput!
Vadit suorum oblitus. Arsuram domum,
Armísque septam, & carcere, vnius memor
Sui, nefandus prodit. Immanis Getes,
Hominúmque pastus dapibus, aut rigidus
Cyclops,
Aut Colchus, aut Hyrcanus, aut sparsus
Scythes
Quod simile monstrum vidit? Heu! quid
nunc sequar?
Quid agam? Manere patria me clades vetat.
Abire, forsan Coniugis infensus Nomas:
Qui proditoris crinem in gnatos Ducis,

Nuptámq; meritò vertet. Et quanquã exitum
Permittat;ad quos misera perfugium parem?
Nempe iter ad hostes; quô meus tutum exili
Habuit receptum Transfuga.Huic casus daba
Me comitem in omnes? Egóne? Consortem abnuo,
Detestor. Huic me rursus adiũngã? alloquar,
Quem nec tueri libeat? Ah! nunquam dies
Tam misera veniat. Ante pax vndis erit
Flammísque; & agnis ante iungentur lupi.
Et fida ratibus sternet Hesperiis vada
Vel Scylla, vel Charybdis: & stabili salo
Fallax arenas Syrtis incertas premet,
Odisse quam te desinam, aut placidum geram
Et mite pectus. Quo ferar? quasnam plagas?
Quæ maria obibo? quem fuga expediam locũ?
Hîc hîc manere satius. Et moriar quidem:
Sed vlta moriar. Vnde me vlciscar? quibus
Violenta pœnis odia? quo scelere expleam?
Vtinam hîc adesses! ora suffoderem vnguibus.
Per viscera ipsa perfidi ad latebras viam
Mihi cordis hac hac panderem: hac, inquam, manu
Dissecta iacerem membra. Non sobolem magis
Furibunda Agaue sparsit. Ego gnatum impij
Mensis parentis, ceu Mycenaeas dapes
Sol vidit, horruítque, discerptum darem.
Aut qualis Atthis barbaro coniux Ityn

Lacerum Tyranno coxit; & hoc mulier viro
Irata fecit. Te quoque Æetæ senis
Generosa proles sequerer: ô similem mei,
Et passa & vlta coniugem! ac simplex nefas,
Sed grauius illo teste, productam patris
Ante ora stirpem manibus abriperem meis.
Quanquam ista quid nunc prohibet? Heu!
quæ me rapit
Vis subita? quid ago? quô feror? Iamiam subit
Nescio quid altum, immane, quod fari piget,
Horribile, tetrum. Quæ noua effigies mali
Animis recursat? quis Deus mentem Deus
Impellit? Actum est. Sceleris inueni modum.
Non te habeo diræ fraudis ad pœnã Asdrubal,
Tuúmque corpus: habeo quod pœnæ est satis,
Partem tui, meíque: sed partem tui.
In hanc manus armentur: hi pro te accidant;
Ac te velim spectante. Quid demens loquor?
Dij melius. Absit. Ecquid insontes, rogo,
Potuere? Nullum est crimen. Hoc crimen luet,
Quod perfidi sunt patris. At matris quoque.
Quid mater in se admisit? hi noxa carent.
Et tùm carebam, cùm ferox sine me parens
Discessit. Horum in capita genitoris nefas,
Irámque transfer coniugis. Matris fides
Amórque pereat: nuper his Patris periit.

Pueri Asdrubalis Filij. Coniux.

QVO *Mater abiit? C. Matris ad vocem tremunt*
Concussa ab imo viscera. O matris potens
Blandúmque nomen! Cor mihi attonitum salit.
Hebet ira, languet animus, extortus furor.
Adeste gnati. P. Mater! C. Ah! pectus fodit
Vincitque mater. Viuite. Ego stirpis meæ
Spargam cruorem? P. Quid doles? A. P. Quid fles parens?
C. Flenda & dolenda patimur. Ætati, puer,
Inuideo vestræ; quòd mala hæc nondum rudis
Persentit animus. Vtinam & hoc quiret parēs!
P. Vbinam est pater? C. Quid gnate sopita excitas
Rursum, & reponis odia? Quid patrem cies?
Vrit paternum nomen, & matrem asperat,
Stimulátque: vt acres iacula proritant feras:
Iterum furori reddor. In facinus malè
Compressa rabies gliscit. Omne illud placet,
Quod antè metui. Perge. Sed sobolis iugum
Geminæ hinc recedat. Fortibus cœptis amor
Maternus obstat. Ite; vos genitor vocat.
Duc fide custos; milite, atque armis procul
Adytis reconde pignora. Ego certa eruam:
Quid de Parente rumor haud mendax ferat.

Vxor

Vxor Asdrubalis sola.

AGE *sola tecum statue. Quid toties fugant*
Alterna sese vota? Nunc odiis amor,
Nunc odia amore victa castifico excidunt.
Vbi sis malorum cerne. Bella, arma vndique,
Cædes, rapina. Miles hic victoria,
Spe lucis alter intûs ereptâ, furit.
Cum prole sola es: prolis istius pater
Horum, & tui desertor. Vlcisci cupis?
Potes. Adde vires pectori, & vel tu dole,
Modo & ille doleat. Per tua hunc fixo velis
Traijcere ferro viscera. En gnatos habes.
Tua sunt, tua illi viscera. Hâc, quâ vulneri
Patet, appetendus genitor. Hîc merito est locus,
Præuertere hostis tela. Quippe aliâs manet
Romanus illos gladius. Vt parcam; breui
Tamen est carendum. Matris abreptos sinu
Iamiam trahi conspicio. Nihil horum potest
Prodesse vtrisque vita. Mors nostro vtilis
Fiat dolori. Testor inuisos Deos,
Non prima scelus hoc facio. Damnauit parens
Nece, dum reliquit: Patris arbitria exequor.
Quænam hæc Auerno turba prorupit lacu?
Quid video? Sontes agmen infernum plagas

Deseruit, & me inuadit. En tortos quatit
Megæra colubros. Mugit horrendum specus
Tartarea: rictu sæua tergemino Canis
Vipereus ora pandit. Hinc stricto minax
Mucrone volitat vmbra: cui currum trahens
Squamifera geminus colla submittit Draco.
Hinc alia trunco vibrat abscissum caput
Puerile. Ego ambas nosco. Threïcij nurus
Cecropia Martis illa. Quam currus vehit,
Phasiaca nupta est. Implet alterius gregis
Attrita dextras vrna. Deest numero soror.
Huius vicem præstabo. Pòst paulo sequar;
Pársque aliqua turbæ sontis, aut princeps ero.
Abiêre. Nunc te ad facinus egregium refer.
Sed miles ad me graditur. Et vultu quidem
Toto furoris indices præfert notas.

Coniux Asdrubalis. Phameas Dux Transfugarum. Milites.

C. QVO *densa properas turba? Ph.* Num *tu etiam virum*
Imitata mulier stirpe cum gemina fugis?
M. Non *fugiet vnquam. Perfidi pignus Ducis*
Mecũ hæc domus peribit. Ph. Vbi natos tegis?
M. Prolem exhibeto. C. Sinite: plus aliquid dabo.
Non fugio, non resisto, non gnatos clepo.

Sponte hîc manebo. . Nam mori matrem iuuat,
Pueros necesse est Hos ego. At nondum eloquar.
Ph. *Quid facere properas ? C. Nulla quod taceat dies*
Ph. *Ecquid scelesti coniugis facinus probas?*
C. Fac compotem huius: scelera quàm placeant scies.
Quamquam & scies. M. Odisse te hunc meritò decet.
C. Odisse tantum? Imbelle: nec forti est satis.
M. Quid, fare, præter odia vindictæ struis?
C. Pœnas, cruorem, funera, & cædes volo.
M. Abest maritus: quantulum absenti noces?
C. Peperi. Furori quod sat est, vterus tulit.
M. Gnatísne cædem mater, ánne aliud paras?
C. Factura quid sim, tempore agnosces suo.
M. Sobolis profundes sanguinem? C. Vt doleat parens.
,, *M. Tanti hoc mereris? C. Maximum vlcisci lucrum est.*
,, *Sollicita cùm sit cætera, & luctus capax,*
,, *Suaue hoc potestas Principi, atq; ingẽs parit,*
,, *Impunè quòd non aggredi hunc alius licet,*
,, *Cui liceat omnes. Sorte priuata amplius*
,, *Hac dote regnum est. M. In meum quamuis caput*
Culpa hac mariti vergat, & clade obsidis

Fas sit piare generis, hinc sodes tamen
Discede potiùs, tale quàm pecces scelus.
C. Ante haud sinebas, nunc domum hostilem foues?
„ *M. Tam dira fugio exempla. C. Moriturus times*
„ *Aliquid? M. Nihil tàm crimine ex illo horreo,*
„ *Quàm crimen ipsum. C. Fiet: audebo viris*
Horrenda mulier. Liberûm in cædes ruam,
Meámque. Si quis sceleris aspectum pauet;
Ante occupare fata, vel condi licet.
M. Moritura proles ede quas latebras tenet?
C. Hâc sequere, ducam. M. Num gradum ad facinus citat?
C. Matura nondum cœpta: necdum omnis phalanx
Educta castris: quippe Romano velim,
Atque vtinam & illo! teste, quod placitum est geri.

Phameas ad Milites.

O FEMINÆ *ingens specimen! ô turpi viro*
Indigna coniux! triste & horrificum nefas
Etsi ferox moliris; & prolem neci
Me non probante, tradis: at gratum est, meo

Quod in hoste peccas : quod mihi vltricem moues
Præstásque dextram. Non diu insultans dolis,
Et inultus in nos tacita desertor feret
Flagitia : in æquo est quódque commisit, breui
Et quod videbit. Præmium immitis fugæ,
Ac peierati numinis fructum Asdrubal
Scelerate capies. Quãquam & hoc, socij, pudet,
Animis præire fœminam. Exemplum dabit,
Vincétque? Nil se? nil suum pensi genus
Habeat, toríque iura, dum pœnas pati
Vel coniugem ipsum cogat? Ego segnem impetum
Moribundus, exspes, vltimæ in pestis metum,
Casúsque tantos conferam? Ego forti parum?
Parum virili dextera obnixus diem
Claudam supremum? Si quis etiamnũ est vigor,
Meliora socij. Quod potest vnum, Deus
Producere vltrà spiritum infensus vetat;
At honesta nemo fata sortiri vetat.

Scipio. Phameas Transfugarum Dux.

HVC *hûc frequentes agite, dum ferrum tepet,*
Pœni reliquias nominis, Templum Deo
Tutore vacuum, quæque Sidoniæ gerit

Monimenta fraudis, sede furtiua erutam
Abolere Byrsam pergite. Ph. Armorum nouus
Vibrat per auras fulgor, & duplicat diem.
Properè expedite tela. Subrectis adest
Infestis pilis Legio. Perrupto est opus.
Densetur agmen: impete vt capto ruens
Stricto minax mucrone perfringat globus.
Spes est in armis tota. Quem lucis tenet
Cupido, mortem haud metuat. Elapsus fuga
Ignauus abiit Ductor. Vrbem hostis tenet.
Arx capta tandem est. Templa perfugium breue
Hæc vna præstant: his quoque inclusos fames
Vesana cruciat. Precibus euinci furor
Satiandus vno sanguine, hostilis nequit.
Quid deinde miseri facimus? Ad quorum fidē?
Quorum arma, opémque fugimus? In ferro est salus.

Scipio. Asdrubal. Phameas in Arce.

S. ANIMO *metum depelle. Securum benè*
Sperare de me iubeo. NE *dubita: ratū est*
Romana quicquid hostibus sanxit fides.
Nunc te ad tuorum sistere aspectum libet,
Ne spes moretur aliqua. A. Verū obstat pudor.
S. Captum putabant, non meas profugum in manus.

Venisse sponte. Templa conferti ambiunt.
Iubete sistant iacula. Ph. Scipiadæ tegit
Latus Asdrubal, ni fallor; & certè tegit.
Sc. Qua spe arma miles? quo duce infelix capis?
Hûc flectite oculos? Ecquid hic vester fuit
Quondam Asdrubal, nunc noster? A. Hæ Martis vices.
Hæc fata, socij. Templa vobiscum assequi,
Nec fugere quiui. Sícque deprensus, vias
Dum me per omnes refero, pars prædæ fui.
Ph. Ain' scelestè? scilicet captus venis?
Clam me esse verò facinus, & turpis fugæ
Indigna credis furta? Nil iam, perfide,
Nil me relictum, & turpibus captum dolis,
Dextámque fidei conscium, aut Superûm querar
Violata per te numina. Hæc nec tu times,
Nec esse statuis vlla: nec tanti est mei
Iactura. Sed cui coniugem, & gnatos iners
Fugitiue linquis? quantus insani stupor
Capitis, furórque? Facere quos hostes paras,
His tanta credis pignora? Horum odiis faues?
,,In te ministras tela? Sic nunquam improbis
,,Cõsulta mens est. Quamlibet fraudes struat,
,,Nullum sat omni parte prouisum est scelus.
Quàm bene tuum illud quas daret secum tulit,
Docuítque pœnas! Nempe, nisi nuptam simul

Prolémque eodem crimine abijceres nocens,
Tibi quod referrem deesset. Egregiè dolor
Per illa noster, sponte quæ præstas, ruet.
Agedum vir esse disce; tótque oculis domus
Intrepidus hauri funera: Asdrubalem exhibe
Illum priorem. Cæde natorum tepens
Materna iamiam viscera hic, quem tu vides,
Perfodiet ensis. Maius hoc aliud geri
Fors & videbis. M. Sobole cum infausta parens
Ruit ecce; quali modica Teumessi gradu
Aut celsa Nysæ culmina Ogygio subit
Percussa Thyrso Mænas. M. En coniux adest
Tuus hostium armis septus.

Coniux Asdrubalis. Asdrubal. Scipio.
Pueri Asdrubalis Filij.

C. Hîc coniux adest?
Vbi pestis illa? Profugis infidum caput!
Profugis, tuósque prodis: & lucem vides?
Et os nefandum, ac nocte perpetua obiicis
Tenebrísque dignum? Condere infelix, abi.
Non hinc recedes? non Styge, atque Erebo petes
Vlterius aliquid? Quæ tuos vultus satis
Opaca nox abscondet? aut patulo satis
Tellus dehiscens gurgite absorptum premet?

„ Non hoc virile est; facinore admisso reum
„ Aspicere contrâ posse, nec latebris tegi.
„ Furor ille, furor est. Summa nequitia attigit,
„ Quem non pudor metúsque post culpā mouet.
Proh vilis anime! generis opprobrium, lues,
Labésque gentis! cæcus, attonitus, tremens,
Humilísque ad hostem vadis? &, si fas peti
Vtcúnque tuta fuerat, hæc solus, petis?
Non comite me, vel conscia? Ah! pectus ferum,
Timidúmque! cui tu pignora hęc saltem parens,
Hos innocentes tradis? Vbi fortem supra
Ille acer, atque inuictus, & flecti timens,
Nullíque supplex animus? Vbi fastus prior?
Quàm facilè inanes spiritus fœda arguit
Spes lucis, & cupido! Degeneri fuga
Quos perdidisti prodis? O lentum Iouem!
Quis ille mos est? Vnus exitio nocens
Subtrahitur: in nos crimen insontes redit.
Scelere hic peracto gaudet. At non & diu
Gaudebit. Huic tu parcere? Hunc tecto hospitem
Excipere eodem, Consul, & dextra potes
Sociare dextram, quo duce in dominos Libys
Rebellat? ictum fœdus amborum cadit?
Fas omne ruptum est. Hic tuum aspectum tulit?
Non ora cadis conscia indigna horruit?

Non illa tremuit castra? non tot vindices
Dira suorum cladis expauit manus,
Quot illa testes habuit? Huic vitam datis,
Qui socia vestros corpora ante oculos secans
Lenta peremit morte? Cui tandem spei
Monstrum hoc reseruas Scipio? An placidum fore,
Fidúmque in hostem reris, infidum in suos?
Dijs execrandum? Vestra si noui benè
Consilia: non huic pœna, sed pœnæ modus
Tempúsque lucro dabitur. Hoc victor tuis
Prastas triumphis. Antè Tarpeium ad Iouem
Sacra praibit, colla substrictus, via:
Captíque Princeps agminis passim nurus
In se Latinas vertet. Hinc laqueo gulam
Fractus tenaci, rupe vel celsa datus
Præceps peribit: carcere aut clausus, situ
Horrenda nostris claustra perpetuæ colet.
Sed lenta nimis hæc, debita & vestro vltio
Per se dolori est. Maius, & proprium quoque
Sibi noster aliquid poscit, ac refugit moras.
Hos tu vides crudelis, & fato, & patre
Meliore dignos? Fruere, postremum aspice.
Periere. Patrium hi crimen insontes luent,
Matris perempti dextera, at culpa patris.
A. Ah! parce coniux! C. Coniugem hic etiam vocas?

A. Ignosce gnatis mater. C. Hoc genitor doces?
A. Per si quid vnquam dulce tibi nostrum accidit,
Per sacra thalami iura communis precor;
Ne perime: mea sunt scelera: me potius pete.
C. Vtinam ipsa possem! nunc tuas soboles vices
Mihi te vidente debet. O faustum diem!
Gnatos, quod vnum deerat ad pœnas, amat,
Adestque genitor. Nil meum hoc factum foret,
Nisi & ille amaret. Perage. S. Quid mulier facis?
Absiste furia. C. Lumina huc sodes leua.
Agnosce: tuus est. Primus hic ensem imbuat.
P. Miserere genitrix. C. Dirus hoc prohibet pater.
I. nunc: relinque coniugem. A. Est odio suis
Mactatus ille. Liberûm vitam alteri
Concede: solum hunc posco. C. Ni peteres, darem.
Quod me voles fecisse, velle istud nega.
Hunc cui precaris, cui times, ipsum hoc, cupis.
Quod esse saluum, perdet. Hac ferrum inseram.
A. Estisne Superi? Nullus hîc fulmen rotat?
Nemo hanc leænam, liberûm hanc pestem opprimit?

Date tela, flammas spargite: hac viuam manu
Euiscerandam rapite. C. Iam fortem iuuat:
Iam te virum spectare. Quod satis est, doles.
Nunc vlta, nunc beata, nunc victrix ferar.
Rara hæc voluptas hostium luctu frui.
Factum est abundè. Plus meis odiis litas
Quàm quod cupiui. Læta tibi de me inuicem
Moritura reddo. Facibus & ferro Asdrubal
In me paras sæuire. Nil ferro est opus,
Nil facibus istis. Idem erit sceleris tenor.
Per me quod optas cædis officium exsequor.
Inuisa morior: pòstque præmissas Stygi
Vmbras recentes propero. Qui patriam cremat,
Idem & parentem rapiet, & stirpem rogus.
At tu superstes, exsul, alieni assecla
Vilis triumphi, famulus, inuisus, pauens,
Victoris ad spem viue. Vel, si fas mori est,
Hinc te quid agere deceat, exemplum cape.
A. Perge execranda, perge, Dirarum gregem,
Seu mox tribus iungenda, seu pars es trium,
Cumula, vel exple. Belidum cesset labor,
Et sicca refugus ora decipiens latex.
Et quæ perenni conscium audacis stupri
Reuoluta versat turbine, ac nunquam silet,
Rota transferatur. Tundat æternum iecur
Obscœnus ales, & renascentes fibras,
Vacante Tityo, nulla non carpat dies.

Quicquid sub imis horridum tenebris capax
Ditis coërcet Regia, & turba irrigat
Quicquid nocenti toruus Asopi nepos,
Iouísque proles Gnoßia, & consors fori
Rhadamanthus, vnam hanc laceret, hanc vnam grauet.
Pro! missa Auerno pestis, atque æui probrum!
Quonam freto? qua caute? quo monstro editam
Nostra hanc tulere sæcla? quæ longa fame
Incensa Tigris? quæ lupa? aut gelido poli
Sub axe candens vrsa tam sæuas alit,
Aut Hydra flammas? Liberi infausti Patris!
Quis vestra dignè funera & casus fleat?
S. Miseranda pateris, fateor. At qui sis memor,
Onerare planctu temet imbelli caue.
Age hunc retractum cladis aspectu alleua,
Castrisque recipe. Lenit afflictos quies.

Idem Scipio ad Milites.

VRGENDA *belli reliquias. Tam tetrum nefas*
Versa expietur arce. Quâ durum est iter,
Nec solida calle planta deuexo labat,
Pendente cliuo, fulciat primos sequens.
Erigite in auras scuta. Præ se habeat prior.
Pone alius ordo capita subrectis tegat.
Illûc machinas, hûc ære præfixas trabes,

Hûc ferte tela. Vinea arrecta sude,
Pluteíque agantur: leuiá queis crudo bouis
Tabulata corio tecta. Vulcanum pice
Sparsum tenaci, missile & ferrum arceant.

Nuncius. Scipio.

HEV! *Pœnus obiit flebili Ductor nece.*
Sc. *Nouus ecce miseros casus ex alio rotat.*
Qua morte cecidit? N. *Ense confossus iacet.*
Sc. *Suapte casus dextra, an alterius?* N. *Sua.*
Sc. *Nullúsne mortem vetuit?* N. *Aduentum celer*
Nostrum occupauit. Arce progressos iter
Cùm nos teneret Vrbis, hic paulum via
Secreta simulans cessit, & dicto ocyus
Lethale ferrum pectore immisso capit.
Nos trepidi ad illum currere, & frustra patens
Cohibere vulnus. Vulnere exhaustus cruor
Bibulum tepenti sparserat riuo solum;
Tamen hæc profatur. Non tuæ certè occido
Pars vlla pompæ. Plura dicturum halitus
Defecit. Oculos ferreus clausit sopor.

Scipio.

„ GENEROSA *laudo funera: anteacta notam*
„ Labémque vitæ sæpe mors pulchra eluit.
Sed hæc vel hostis digna sunt luctu mala,
Vrbis, Ducisque pariter; ast vrbis magis.
„ O lubrica æui fata! quis vestras vices
„ Aut nouit, aut non metuit? I, vitæ bonis
„ Confide nimium. Quantulum humanas opes
„ Impellit? An nos vrbis euersæ repens
Casus feroces reddit? At timidos facit
Idem hic & animos minuit euersæ cinis?
Iacet inclytum vrbis specimen, & mundi alterum
Decus: hæc tot annos robore, atque opibus vigens
Tota in ruinas abiit: hic operis labor
Ingentis illæ turrium eductæ polo
Cecidere moles: illa tectorum vapor
Fumificus ambit culmina: hæc Superum flagrant
Delubra, & ædes: illa tot sæclis potens
Carthago inanis campus, atque ingens solum est:
Atque aliquis illam vomere exercens humum
Hic Tyria dicet mœnia, hîc arces erant.

Quod fuerat, hoc es Roma: quódque illa est modò,
Potes esse, erísque. Veniet hæc forsan dies,
Qua te superbam (pace ego patriæ loquar)
Fors similis alto excutiat, & lapsam quoque
Hosticus adurat ignis. Hoc felix time.
„ Ego timeo. Ventis sæua momento tument;
„ Vertúntque maria: quæque ludentes salo
„ Lux vidit, eadem naufragas puppes videt.
„ Tantum minantur fata, quantùm homini fauent.
Sed tarda veniat, si qua ventura est tibi,
Aut nulla veniat pestis; hoc potiùs precor,
Potiúsque Diuûm numine affirmet sator.
Vos hunc honesta morte perfunctum rogo
Extruite, & ossa Libycus abscondat lapis.



SEQVENTIS DRAMATIS ARGVMENTVM

E Sozomeno Lib. VII. *Cap.* VIII.



LORENTIBVS in Perſide Chriſtianorum rebus, Sapores Perſarum Rex cùm vetere impulſus odio; tùm Magorum ac Iudæorum artibus in illos commotus, primùm iniquis exactionibus, ac moleſtiis vexare : tum Eccleſiarum, ſacrorúmque vaſtitate ac direptione: poſtremò Sacerdotum & Antiſtitum, ac reliquorum adeò cæde funditùs opprimere inſtituit. Erat tum Seleuciæ ac Cteſiphontis Epiſcopus Simeon; cuius authoritate ac virtute niti Chriſtianorum apud Perſas religio videbatur. Hunc proditæ maieſtatis inſimulatum comprehendi, & ad ſeſe catenis onuſtum perduci iubet. Interim Vſthazanes Regis educator, & inter Palatinos proce-

ceres principem locum obtinens ob Christianam professionẽ delatus, minis ac terroribus de constantiâ deiicitur; atque ad Christiani nominis detestationem sacrilegã Ignis ac Mithræ venerationem adiiciit. Non eundem in Simeone tentando successum Saporis conatus habuit. Cuius ille non minùs sæuitiam, quàm blanditias promissáque contempsit, ac desertori insuper salutem attulit. Nam cùm ad sese venientem, illum, ac pro veteri necessitudine officiosè salutantem probris ac cõuiciis reiecisset, negarétque quicquam sibi cum nefario transfuga commune esse posse: Vsthazanes hac offensione, ac sceleris sui horrore perculsus ad Regem adit, ac Christianũ se esse coram eo profitetur. Qua repentina mutatione vehementem non in se modò, sed & in Christianos omnes Principis iracundiam conuertit. Itaque capitis damnatus eodem die gloriosissimam pro Christo mortem sustinuit. Verùm antequam ad supplicium traheretur, magnopere hoc ab Rege postulauit; vt elogium suum, necisque caussa publicè à præcone pronunciaretur; ne quam perfidiæ proditionis-

que de se suspicionem in vulgus relinqueret. Sed eò nimirùm postulatio illa spectabat; vt si quibus fraudi offensionique sceleris exemplo fuisset, iisdem mutatę voluntatis, ac susceptæ ob fidem Christi necis præconio consuleret. At Rex cæterorum ad terrorem quod rogabatur pertinere ratus, vltrò concessit. Intererat spectãtium turbæ Pusices Regiis artificibus præfectus. Qui vt metu mortis attonitum ac titubantem Ananiam Simeonis Presbyterum vidit, nihil cunctatus voce hortatúque suo illius animos erexit. Ob id comprehensus & ipse paulò pòst interfectus est. Cæsus est Vsthazanes Constantij & Constantis A. VII. feria V. maioris Hebdomadæ. Simeon vero ac cæteri postridiè, hoc est feria VI. siue Parasceue. Hæc Sozomenus.

DRAMATIS PERSONAE.

Vſthazanes.
Datys Chriſtianus.
Sapores Rex.
Princeps Magorum.
Simeon.
Angelus.
Miles.
Puſices.
Ananias.
Chorus Perſarum.
Chorus Chriſtianorum.



VSTHAZANES,

SIVE

MARTYRES PERSICI.

TRAGOEDIA II.

ACTVS PRIMVS.

Vsthazanes. Dathys.



VID *hûc relicto Principe errantem gradum*
Diuersus vrges, turba dum sacris frequens
Operata Procerum Solis adstantem focis
Ambire Dominum gestit? D. *Hoc ipsum est retrò*
Quod me retorsit, nè quid ex illa traham
Contage sceleris. Te quoque haud dispar scio

Causa hûc subegit. V. fateor idem animus, procul
Fugere execranda sacra; nec coram pati
,, Ritus profanos. Quippe nec visu tenus
,, Polluere Christi in iura transcriptum caput
Fas esse didici. Quod tua dignum est fide,
Et cui fauemus numinis cultu, sapis.
I, sequere porrò. Perge melioris tenax
Dum viuis animi. Perstet ambobus precor,
Acer suique similis, & nunquam malis
Victus fatiscat. D. Si quod in nobis situm est
Spondere certo liceat; æternum sibi
Constabit. V. Hac nos mente venientem decet
Quanquam opperiri turbinem, & contra gradum
Firmare, trepidat pectus, atque horret tamen
Quo se minax procella, & impulsus dabit
Iræ æstuantis feruor. Haud facili reor,
Medione tantus scelere fungetur furor.
Magnum aliquid in nos sæuus atque odio fauens
Molitur: hunc vos fallite ô Superi! metum.
Nec me illa dubium cura priuatim mei
Sollicitat: hæret noster in solido status:
Si fas loqui est, fretusque nil cœlo pauet.
Causa timendum est publica. In Christi genus

Nomenque sceptro ac decore regali tumens
Inimica vis assurgit. Hæc non iam dolis,
Non cæca, vt olim, fraude Achæmenius parat
Subruere Princeps: sed palam aggressus quatit.
Hucusque solis opibus infestus, graui
Pressit tributo, capita describens atrox
In quæque pretium. Verùm vbi exhaustis nequit
Excutere firmo pectore hærentem Deum;
Iam mole aperta pugnat, exardet, fremit.
Nec vetera tantum, solitáque in nostrum gregem
Supplicia renouat, ac remetitur diu
Desueta terris generis exempla horridi.
Parum hoc, parum est, nimiúmque vulgaris notæ,
Quod vsitatum est: quæritur sceleris nouum
Nec cognitum orbi specimen. Et, ne quod nefas
Desit furenti, non rudem ad facinus virum
Vrget minister sceleris, ac subdit faces,
Hinc ille Domini cæde pollutus, sacer
Hebræus, exlex, aduena, impostor, vagus,
Gens orbe toto sparsa, sine regno & lare;
Suisque pulsa sedibus, nostris grauis.
Inde alia Regni maior Assyrij lues
Profanus ignis cultor arcani Magus

Stygiáque pollens arte. Sic gemina Sapor
Peste efferatus gentis in cædem piæ
Grassatur: & quas mentis etiamnum potens
Nondum ille habebat; siue Threïcij metu
Premebat intùs, Principis, totas modò
Effundit iras. Sic vbi emissus foras
Tandem reclusis prodit è caueis leo
Propior furenti graditur, & nondum furit.
Mox latera stimulis fossus, aut torti procul
Crepitu excitatu verberis, cauda latus
Stimulante vastos corpore excutiens toros
Præceps ruit, furítque, nec sese capit.
Haud alia Regis pectora amborum ad nefas
Insanus acuit liuor. Heu! miseris salus
Quænam relicta est? Quis modus furiis erit?
D. Paulum querelas reprime. Nescio quis ferit
Modulatus aures sonitus. En vocis canor
Crebrescit ingens. V. Solis è templo redit
Comitata Regem pompa. Congressum viri
Est impetus fugisse, subducar domum.

Chorus Magorum Ignem ac Mithram celebrantium.

ANAPÆSTICI.

QVACVMQVE *vago gurgite Nereus*
Complexa solum brachia pandit:
Sub vtroque procul sole iacentes

Vnus

Vnus populos Persicus anteit.
Quacunque poli vertice in alto
Sacrata focis templa merentur,
Vnus superat numina Mithra.
Sic præ reliquis inclyta terris
Maius reliquis numen adorat.
Canite ô iuuenes! Patrio Mithram
Dicite ritu.
Tibi festa Magus carmina fundit.
Tibi Achæmenidum turba virenti
Velata gerens tempora myrto;
Niueósque trahens splendida cultus,
Delubra piis cumulans votis,
Dat turicremas munera ad aras:
Lætísque sonat vocibus æther.
Agite ô pubes Persica magnum
Celebrate Deum.
Quà quà celebri ducta paratu
Festam graditur pompa per vrbem
Linguis faueant, verbáque paßim
Fausto ciues dent fausta die.
Nullus querulo murmure pulsas
Polluat aures: lamenta vacent.
Hunc solicitis parcite curis
Onerare diem. Sit molle iubar
Nullis liquidam misceat athram
Imbribus Auster: densáque nusquam
Incubet atro turbine nubes.

Nec freta piceis acta procellis
Nunc suspensos ad celsa ferant
Sidera fluctus: nunc obscuros
Retegat manes unda dehiscens.
Altâ supero quicquid in orbe est.
Altâ sileat pace profundum.
Dum mista viris mollior ætas;
Matrûmque choris innuba proles
Mithræ celebrat cæleste iubar.
Quo perpetui fœdera mundi
Authore manent; per bissenos
Partita fluunt tempora menses.
Et nunc placidis laxata viret
Zephyris tellus; nunc æstifero
Gratas reuocat sidere messes.
Mox Autumnus pomifer vstas
Riguo glebas temperat imbre.
Nunc brumali frigore torpens
Gelidis Boreæ flatibus horret.
Sic alternis natura parens
Vicibus patitur damna, nouôque
Reparat priscum splendore decus.
Hæc humanis commoda rebus.
Prouidus istas dispensat opes
Fugitiua regens sæcula Mithra.
Tu quoque rerum pars magna faue
Sacer Assyris ritibus ignis.
Agilis cuius vigor æthereos

Continet orbes; dociléſque rapi
Partim Heſperium torquet in axem;
Partim Heſperio torquet ab axe.
Idemque polo denſior ardens
Facibus latè ſparſa coruſcis,
Quæ nocte vides ſidera, monſtrat.
Hinc viuacis ſemina flammæ
Magnos Mundi fuſa per artus
Occulta meant; viuida quorum
Genitale fouet corpora robur.
Illinc hominum, pecudúmque genus;
Quicquid volucrum ſecat aëria
Nubila penna: quod marmoreo
Claudit gremio cærula Tethys;
Animam ignifero ducit ab hauſtu.
Nec tu rerum maxima tantum
Penetras, mundi fœcunde ſator!
Sed viſceribus nulla vel imis
Corpora terræ depreſſa Deo
Vegetante carent. Sentit flammas
Solidata tuas, & auara hominum
Vota fatigat diues fului
Vena metalli. Quin & ſilice
Ferróve ſilex icta latentes,
Quos fœta gerit, reddidit ignes.
Par cœlicolum nobile ſalue.
Date fauſta piis tempora Perſis.
Quíque officio lætus vtrumque

Ambit Persis numen amicum
Et communes instruit aras:
Aeterna precor sceptra vicißim
Regi memores reddite Regum.

Sapores Rex, Princeps Magorum.

PERACTA *rite sacra, & auspicibus reor*
Superis litatum. Largus ante aras cruor
Tot cæde pecudum, tótque mactati greges,
Et latus Arabum ture sublatus vapor
Et odora Cilicum meßis, & castæ preces,
Et quæ superbis dona suspendi tholis;
Quæque ipse voui, prosperum Imperio statum,
Nostrisque felix omen inceptis ferunt.
,, *P. Audita superis vota: supplicibus fauent*
,, *Suis, amantque: nec piè orati preces*
,, *Surdâ capeßunt aure. Contrà illi impios*
,, *Odere, fastu bella qui tumido mouent*
,, *Paterna regni in sacra; nec cultu Deos*
,, *Dignantur & qui iura præ patriis habent*
,, *Peregrina; quique hos premere cùm poßint fouent.*
S. Nempe hos rebelles, hos mihi exosos canis
Christi execrandos nomine. P. Hos ipsos loquor,
Perdenda letho capita, quos vltrà caue
Patiare Princeps; pestis occultæ amputa

Ferale virus: gliscit, & populos vagum
Latè per omnes serpit, offensi trahens
,, In nos Tonantis odia. In insontes cadit
,, Cives nocentum culpa, si pœna caret.
Nec tu sacrorum hæc proindè, vel nostri puta
,, Referre tantum. Publicæ ex usu rei est
,, Eadē esse cunctis numina: haud quales velit
,, Arripere cultus quemque, nec ritu minus
,, Quam Rege eodem vivere, hoc sceptris fi-
dem
,, Pacemque populis sancit. S. Hortatu nihil
Opus est: peregi cuncta mecum animo prius.
Odi ipse, quantum hos nullus, & Superum, &
mei
Caussâ nefandos persequi, exitio dare,
Abolere prorsus meditor. P. Æternum tibi
Hac mente firmas sceptra. S. Non animo recens
Aut temerè in illos cœptus incubuit furor.
Vetus est; nec olim si quid indultum est, nefas
Fovere volui: tempori & regno datum est:
Non huic remissum: pressa modo sese efferant
Consilia. Vos non ore, & admonitu tenus
Favere cœptis, sed manu & factis volo.
P. Properare cursu concitos celeri iubes.
Sed quam in laboris fare nos partem voces.
S. Excutite profugos: rapite; per tecta &
lares
Anquirite; urbes, rura, desertos legat

Saltus oberrans miles. Hic vester labor
Eruere fontes vndique, vlcisci meus.
,, P. *Huic gerere morem est facile, qui quod vis iubet*
In perduelles Imperi, atque hostes Deum
Violenta mandas bella. Quis iussa abnuat;
Nisi & hostis; & cui sceleris exemplum placet?
Sed quid latebris abditos cæcis iuuat,
Procul & fugaces petere, si facinus palam
Tutum in propinquo patimur: & Regni in sinu
Manifestus hæret hostis? S. Haud nobis quidem?
Quis ille tandem exprome. P. Christicolûm caput
Columénque. S. Nempe hunc capite damnatum refers;
Qui Ctesiphonte vinctus Assyriâ senex
Hûc me imperante trahitur. P. Imò alius mage
Ille timendus, opibus, & longa potens
Turba clientum. S. Iuris an nostri est? P. Tui.
S. Ambage missa fare quem memores virum.
P. Qui te te alumnum iactat. S. Ergo etiam miser
Galilæus ille est: & cruci affixum colit?
P. Solum hoc adorat Numen, inque oculis gerit:
Et vana credit reliqua. Nil cœli iubar
Radiantis illum tangit, aut adytis sacer

Repostus ignis. Quin suos furtim excipe
Conditque tectis, atque ope afflictos leuat.
S. Vbinam est? P. Pedem istinc retulit. S. An mecum comes
Delubra Solis adiit? P. Hæc Erebo fugit
Oditque grauius. Quippe Tartarei specus
Simulacra, & Orci stabula, & Eumenidum lares
Hæc fana vocitat. S. Regia hunc aliquis vocet.
Itáne est? Deorum sacra me viuo abnuit?
Ego præsidem almæ lucis, & gemino Deum
Cornu minacem testor, aut Christum abnegans
Ritus priores repetet, aut letho diem
Clausum anteuertet. Nec mea si nunc foret
De stirpe: non si frater, aut consors thori,
Aut gnatus, aut, quod grauius est dictu, pares,
„ *Effugeret vnquam. Regium hac si quis manu*
„ *Eripere sceptrum, pellere aut regno velit:*
„ *Parcam atque inultum patiar? Haud leuius nocet,*
„ *Scelerísque in æquo est, qui mihi longo Patrum*
„ *Transmissa ab auo iura sacrilegus rapit,*
„ *Legésque patrias. Nec pari in culpa tamen*
„ *Ergo vtrumque statuo. Grauius haud paulo nefas*
„ *Inferre sacris bella, quam sceptris, reor.*
„ *P. Par ille cælo est animus, ac stabili loco*

„ *Quicúnque sceptro & Regiis opibus potens*
„ *Diis se minorem sentit. Hic culmen supra est*
„ *Mortale, quem non aula, non auri nitor,*
„ *Non vestis iterum murice Assyrio rubens,*
„ *Non arma, non satelles, aut quidquid foris*
„ *Altum, & superbum cingit, oblitum sui*
„ *Nimium & ferocem sorte regali extulit.*
„ *Rarum hoc decus, tumque. Sed prodit domo*
Longæuus altor.

Sapores, Vsthazanes.

Veráne hæc de te Senex
Mihi fama retulit? Diis modô exosis, vetus
Queis posuit ætas templa, nescio quem trabe
Fixum cruenta colere fallacem Deum?
Nec sacra, vt antè, solita nobiscum exequi,
Nec templa obire nostra. Quæ quanquam diu
Suppressa constans rumor in populum ferat,
Nil facere causa grauius indictâ libet
Proloquere quid tu mente consilij tegas.
V. Quid pectore imo conditũ & tacitum premã
Iubes profari? Fas sit hoc vnum priùs
Rogare princeps. S. fare. V. Gentiles feror
Mutasse ritus: sceleris hæc summa est, Deos
Quod nõ priores veneror. An quicquã est super?
S. Vna hæc abundè est noxa, si facinus probas.
V. Quid operta penitùs, dubiáque in crimen
trahis.

,, *Cæcum est quod intus geritur, & fraudis capax*
,, *Quod quisq; solus nouit. Hoc quod tu imputas*
Negare crimen finge; quem damnas reum
Age quî reuincis? Quin mihi hoc potius vide,
Postquam illa patriis sacra desertis sequor,
Nouúmque veneror, quisquis hic tandem est Deum,
Qui noster in te est animus: obsequiis fides
Quam solita constet: Quod mihi ex illo nefas?
Quod facinus actum est? Fraude qua teneor nocens?
Palam hoc, nec vllis abditum tenebris patet
Cœloque geritur teste. S. Cur fari times?
Ambigua turpe verba nescio quid volunt.
Eloquere apertè; sacra Achæmenidum colas?
Christóne nomen dederis? hoc solum moror.
V. Dedisse fateor: nec dati etiam num piget.
S. Quid hic polum flagrante percurreris rota,
Et nocte pulsa lucidum instaurans diem?
Deum esse Mithram credis? aut cuius calent
Vi cuncta, egéntque, semper ardentem foci
Penetralis ignem. V. Verus hæc finxit sator,
Hominúmq. ad vsus peperit. At frustra Deos,
Frustra potentes credula & ficti tenax
Sacrauit ætas. Scilicet vita Deus
Animáque, quam nos trahimus ex illo, caret
Et mole muta constat, & sensus egens.

Inane corpus lucis obsequio rotat.
Aut forte nunc extinctus alterna redit
Nunc moritur; Illîc maior, hîc sese minor,
Vtcúmque libitum est, pabulo viuax nouo,
Famulásque præstans dapibus humanis vices.
Hos templo & aris digner? Egregium Dei
Opus est vtrumque & munus: at Diuos nefas
Putare Princeps. S. Pergis in superos loqui?
Sile obsecro; oris impetum excordem rege.
" Senile vitium est fræna præcipiti nimis
" Laxare linguæ, plúsque concessis loqui.
Ætatis iste est morbus: errori quoque
Pars imputanda est. Noui ego artificis dolos
Fraudémque sectæ. Subdolum & fallax genus
Spe vana hiantem lusit. A te vtinam mali
Hæc orsa labes, non tuam ad pestem rapax.
Per tot meorum exitia fecisset gradum!
At tu per illud proximum gnatis caput.
Dextrámq. alũnus te tuam, & dominus precor:
Si fas precari est, siue custodem voco,
Seu te parentem: turpe consilium exue,
Iam melior, & te pristinum ad morem refer.
Barbarica profuge sacra: dum sceleris parum
Ad huc peractum est. Siste furialem impetum.
V. Quæ sceleris in me culpa? S. Quòd spernis Deos?
V. Quos esse falsò credis? S. At Persis fide
Sunt receptos publica. V. Exclusos procul

,,Pene orbe reliquo. S. More quæ patrio obtinet,
,, Lex est sacrorum cuique. V. Si vitio vacat.
,, S. Toleranda vel sic illa, quæ se aliis probant.
,, V. Dum quod sequare melius in promptu est nihil.
,, S. Legúmne quicquã melius obsequio putas?
V. Hæc vana specie legis & titulo cauet.
S. Erras. Tot vnus sæcla sollicitas senex?
,, V. Quàm vera quiuis memoret, haud qui sit, vide.
,, S. Rarò is sapit, plus sapere qui se alis studet.
,, V. Pro se æstimanda causa, nõ numero venit.
S. Hæc te ipsa Superos causa tentantem grauat.
V. Errore fictos nil ego & falsos moror.
S. Tuus ille credo potior, & dignus Polo est.
V. Hic solus orbem præpotens nutu regit.
S. Mortalis olim, quem Deum adscribis, fuit.
V. Hominẽ Deúmque pariter haud fictum colo.
S. At ille letho pressus infami períjt.
V. Idémque posthac viuus ad Superos rediit.
S. Fixas latronum medius extendit manus.
V. Iterum sub auras morte calcata subit.
S. Dubium hoc; at illud luce perfectum palam est.
V. Humana tantis emitur impensis salus.
S. Mihi is salutem, quam sibi haud potuit, daret.
V. Potuit: sed isto libuit euentu mori.

S. Quem nostra mergunt fata, nil hominem supra est

V. Qui passus eadem vicit, esse hominem nega.

S. Vulgata temerè rumor hæc mendax iacit.

V. Expressa quantis illa prodigiis fides!

,, S. Post fata nulli patuit ad Superos iter.

,, V. Morte vt pateret præstitit Christus sua.

S. Cur ergo nulli tot nece exhaustis patet?

V. Et hos sub auras læta restituet dies.

S. Spes est futuri longa, præsentem foue.

,, V. Breuis hæc fugaxque. S. Certa præ dubiis fero.

V. Fac certa maneant: quantulo his spatio fruor?

S. Serô aliquid æui parte iam extrema nouas?

,, V. Nulla est honestis sera consiliis dies,

S. Quid acta retrò vita damnatur tibi?

,, V. Reuocare satius, quã dare in praceps pedẽ.

S. Consulere tibimet iubeo: V. Consultum est satis.

S. Sequere imperantis iussa. V. Quà fas est sequor.

,, S. Regum extimesce sceptra. V. Quod salua licet

,, Pietate, timeo. S. Fors tuo edoctus malo

Quod facere sponte renuis, inuitus dabis.

V. Quid ex coacto præmij ac victo feres?

S. Dominum esse me, Regemq. te famulũ scies.
V. Noui equidem. S. At herclè nosse te factis negas.
V. Men' te negare Principem? S. Vt ne sim facis,
Dum iussa refugis. V. Facere quod possim impera.
S. Tuo imperare me tibi arbitrio doces?
V. Vtrimque dubius angor. Hinc mihi Rex iubet,
Rex inde Regum prohibet: è votis vtri
Parere fas sit, statue. S. Quid tempus tero?
Sat iam execranda voce contactas diu
Præbuimus aures. Plura scitari piget.
Agedum efferatos pectoris motus premens
Ad sana mentem flecte, teque ipsum iuua.
V. Vnum hoc remitte, cætera ad nutum geram.
S. Adhibenda vis est. V. Nulla vis Christum auferet.
S. Etiam ne pergis? Aliquis hîc hodie mihi
,, Damno suopte sapiet. V. Haud vllum Deo
,, Damnum timeri grauius erepto potest.
S. Remouenda comites verba: damnatum neci
Rapite hinc. Sed antè lenta cruciatu effero
Pœna irrogetur: verbere, ardenti face,
Candente lamna, forcipe, atque vnco miser
Lanietur vngue: sede luxatos sua
Viuax metalli feruor, & liquidæ picis

Populetur artus. Tremuit: hac parte est senex
Vrgendus iterum. Rapite. Fors illum dolor
Terrórque mortis subiget: augebo metum.
„ Sæpe & feroces spiritus letho cadunt
„ Præsente. Nec si flectere hunc animum est potis
Vis aliqua, carum tot retrò meritis caput
Periisse malim. Vadam & hoc præsens geram.

Chorus Christianorum.

NVLLA *vis terris, Erebóque tanta:*
Nulla flammati rabies furoris;
Freta quæ Diuis, & amante Christo
Pectora frangat.
Crescit hic damnis amor, & fugaces
Despicit vitæ pereuntis annos.
Non minas, non vel iugulo imminentes
Palluit enses.
Vasta ceu rupes medium profundo
Æquore attollens caput, icta crebris
Fluctibus latè resonantis arcet
Verbera ponti.
Haud secus duri patiens doloris
Cælitum deuota cohors Parenti:
Quodlibet lethi genus irretortis
Spectat ocellis.

Non enim longi violentus horror
Carceris; non ære graues catenæ,
Mille pœnarum laniata formis
Corpora terrent.
Viscera obductos penetrans per artus
Flammeus torret vapor: hinc flagello
Acriùs scindit moribunda dirus
Membra satelles.
Ille sublimi lacer in catastâ.
Hic pice adspersus, liquidóve plumbo
Cuius ærato latus omne sulcat
Vngula morsu:
Durat, instantísque manus lacessit
Sponte lictoris; metuénsque flecti,
Quâ licet languente Deum fatetur
Murmure Christum.
Impius quantâ metui Tyrannus
Mole pugnauit! scelerísque quantis
Artibus cœli benè pertinacem
Torsit alumnum!
Ille detracta cute, ceu triumfo
Clarus, Eoo saturos amictus
Murice ostentat, tumidósque regum
Æquat honores.
Quid loquar pœnæ genus insolentis;
Vncta cum seuo, pice vel sequaci
Turba nocturnos facis atque tedæ
Arsit in vsus?

Subditis alter resupina flammis
Membra torretur; super & flagranti
Crate distentus grauiore Christi
Æstuat igne.

Quid fame enectos querar, aut ferino
More membratim periisse sectos?
Quotque erant artus, toties recenti
Cæde peremptos?

Mira vis Christi: ferus vt leonem
Soluit impastum caueâ magister;
Hunc face, & ferro, stimulísque totâ
Vrget arena.

Ille nec ferro, face nec subactus
Sæuit in nudos; placidóque lambit
Ore; tum blandæ pauitante mulcet
Verbere caudæ.

Talis antiquæ Babylonis hospes
Horridas inter iacuisse pernox
Bestias fertur Daniel, paterno
Numine tectus.

Pro nefas! quanto genus est ferarum
Mitius nostro! Quibus acta plagis
Tigris, horrendúsque leo, feróxque
Abstinet vrsus,

Damnat hos letho cruciatque Iudex:
Nec satis pœnæ est iugulare viuos,
Sæuit infelix, laniatque ferro
Luce carentes.

Mergit hos ponto tumulo carentes.
Et ut feris linquens, auibúsque prædam,
Tollere exangues vetat, & paterna
Condere gleba.
Quàm benè hic cælo tegitur; nec vllis
Abditus claustris latet; astra cuius
Obtinet, cælóque animus potitur
Liber aperto!
O nimis faustos! quibus empta paruo
Constat æternis agitanda sæclis
Vita; queis Christum parit inuidendæ
Gloria pœnæ.
O meum si quod meritis piorum
Tempus adscribat! mea si quis aure
Prosperâ captans Superum benignè
Vota secundet!
Non ego Eois opulenta terris
Sceptra: non gazas Arabum nitentes
Præferam: nulli magis expetitus
Seruiat orbis.



ACTVS SECVNDVS.

Simeon. Angelus.



MMENSA rerum ſpatia qui nutu regis
Dominator orbis! noſtra quem patrio è ſinu
Felicis æui compotem in terras ſalus
Pietáſque traxit: generi, vt adſcriptus, nefas
Commune lueres: debitam & noſtro luem
Tuo expiares capite: qui clauſum poli
Penetrale reſeras: qui triumphatæ Stygis
Victor ſub axes ſpolia ſydereos trahis.
Quem mente, quem nos ore concipimus Deum:
Cui ſacra ſoli ferimus. En voti reus
Tibi ſancte grates genitor & vindex! ago.
Habeo expetitum tempus: ad pœnas vocor
Pro te cupitas. O meis ſero datum
Sero impetratum precibus & lacrymis diem,
Quo te Deum confeſſus, has pro te vices,
Hæc vincla merui! Quanquam ego hîc meritum loquor?
Non eſt, nec illud merita contingunt decus,

Gratisque constat omne. Quod superest, ades.
Fer opem; labantem, ni tua auxilio manus
Succedat, vltro robore immisso alleua.
Cœptum est: eatur: noster in cursu est labor.
Imbelle pectus concute, atque animos seni,
Sed non seniles subde. Deest votis adhuc
Mors iam propinqua. Da mihi extremum hoc, mori
Liceat: vel ante mortis exitium, manet
Quodcúnque durum, atróxque: per pœnas eat
Intrepidus omnes animus. Huic facilis spei,
Placidóque Christe numine aspirans faue.
Non ille pelagus puppe longinquum secans,
Quem tenera proles, casta quem coniux diu
Expectat, atro turbine implicitus, lares
Repetere tantum gestit, ac reditum vouet.
Non tam auidus imbres campus æstiuos bibit,
Iam sole longo putris, Icarius face
Hiulca torrens arua cùm findit Canis.
Nec ille canibus actus, & fessus siti
Tam cupidus amnes ceruus egelidos petit,
Quantum illa pro te perpeti, hunc lethi exitum
Felicis opto. Tu mihi hoc solus dare
Potis es, dabísque Christe! Sic præ te Deos
Nihili orbe toto faciat hinc Phœbo tepens
Oriente populus: inde præcipitem mari
Condens Ibero: quique transuersi poli
Sub vtróque degunt axe; nec sola inclytum

Ausonia numen regna: sed Persæ tremant;
Qui nunc regentum scelere pro! miseri iacent
Alta sepulti nocte. Sic Superum chori
Te sancta celebrent agmina, ô Mentis iubar!
Cæleste mundi sidus: hoc tantum ratum
Quod petimus esse patere. A. Ne dubita, senex!
Ratum est, quod optas. En ego interpres poli,
Voti sequester fidus, auditas preces
Illinc reporto. Voce quam aßidua rogas,
Concessa mors est: cuncta cui debes, breui
Vitam imputabis: Nulla promißi mora est.
Clarum priusquam crastinus Solem premat,
Claudátque Olympum vesper, insignem data
Ceruice titulum mortis optata feres,
Victo triumphans Rege. Nec iussu occides
Solus Tyranni; plurima effuso comes
Ibit cruore turba; quam parili nece
Super Astra tecum pompa communis vehet.
Si. Quàm grata nobis quisquis es Superum refers,
Tam merita supra nostra. Tibi mundi Sator,
Trinum atque simplex numen & grates habet,
Et aure fata famulus hæc pronâ capit.
Accingor. A. Hæc te certa, ceu dixi, manent.
Sed antè dextram perdito, & misero dabis.
S. Quis iste? A. Regis altor infelix iacet
Tibi carus ille atque hospes. S. An letho periit,
Aut iam peribit? A. Corpore incolumis, graui

Mentis ruina cecidit. S. Afflictum premit
Quis deinde casus, quoue perculsum modo?
A. Christum abdicauit. S. Num leues cultu Deos
Dignatus? A. Ignem & Solis agnouit iubar.
S. Hoc sponte num coactus in facinus ruit?
A. Coactus ægrè cessit: at cessit tamen.
V. Sed quo peractum est ordine? A. Ex illo scies,
Hûc fama celerem quem tui aduentus agit.
S. Vbinam est? A. Propinquat. Tu, virum vt par est, malis
Obsiste firmo pectore, & Regum minas
,,Contemne. Leuis est ira, quæ vitæ amputat
,,Pereuntis alias spatia: quæ corpus rapit
,,Animumque, magis hanc metue. S. Iampridem metus
Hic me remordet. A. Nec minùs lapsum erige.
Nam tempus vltrò dabitur. His cœptis viam
Molitus, hûc te cœlitum aduexit parens,
Per te vt ruina stratus ingenti senex
Iterum resurgat: hunc tui extremum rogat
Fructum laboris. S. Hoc quidem faxo, & lubens:
Non si ille flammas ferre in aduersas caput;
Aut stricta iubeat tela: si furuæ Stygis
Sub opaca ruere Tartaro immersum velit,
Parere dubitem. A. Dignus hic cœlo vigor.

Datys. Simeon.

O MAGNE *Christi interpres, & lecti gregis*
Longaeue custos! quid tuo aduentu gerat
Prae se animus haret; later, an doleam magis.
Tua latus ora cerno, & alloquio fruor.
At mole pressum sortis indignae graue est
Aspicere. Te ne haec vincula? has collo graues
Ferro catenas trahere? Me miserum! quibus
Subesse fatis, quem virum & qualem intuor!
S. Bona verba quaeso. Parce quem Christi vides
Causa haec ferentem perditũ ac miserum queri.
„ *Non est, nec esse rere. Qui scelere aestuans*
„ *Errore caeco premitur, & lucem fugit.*
„ *Miser est; secundis quamlibet rebus fluat:*
D. O te beatum hac mente! S. Quid? tu aliter sapis?
D. Ita luce cassum sedis aetherea quies,
Et vita nullos maneat occasus pauens:
Vt ista tecum sentio. Et miseret tamen
Et ora lacrymae sponte, nec iussae, rigant.
S. Quo me beatum credis, hoc plangis statu?
D. Non causa tristem cladis, at clades facit.
S Rudis ille veri est decoris, & solida minor

„ *Virtute, cui non dulce pro Christo pati.*
„ *Nimium supremo distat, ac vilis nota est.*
Tete hic amici squallor & luctus necat?
Mea sunt, mea illa vota. Quem pro me capis,
Pro me laborem mitte. Si rectè æstimas,
Non est amoris ille, at inuidiæ dolor.
D. Tibi inuiderem, luce quem charum magis,
Oculísque ego ipsis habeo? S. Quin, si qua est fides,
Gratare, quòd se fata tam læta explicant.
Sibi regna opésque mundus, & fructum breuis
Vitæ caducus habeat. Hæc mihi sors placet,
Qua me esse miserum fingis, & gemitu obstrepis.
Quas tu senili corpore implicitas, graui
Cernis catenas pondere, illuuie obsitum
Iuuat iuuat traxisse. Non si me ducem
Sub iura missus orbis, & dominum tremat;
Hoc me beatum decore, sed miserum rear.
Quanquam ista solum perpeti, & uinclis tenus
Tua Christe! famulum fata sectari piget.
Cur non per ignes sanguis admotos fluit?
Nec aduncis artus vnguis extentos fodit?
Imbellis, heu me! miles intactum, integrum
Hoc vile terræ pondus, hoc senium gero.
Sed spes propinquæ cædis, ac pœnæ caput:
Vinctus Tyrannos sistor. D. Hoc vtinam foret
Ignauus animo transfuga, & Christi recens

Desertor. S, Ecquis sceleris est tanti reus?
D. Ætate fessum Regis altorem tenes?
S. Pietate clarum noueram, & meritis virum.
D. Nuncille praeceps culmine ex illo ruit.
S. Quid hocce memoras? D. Luce quod gestum hac scias.
S. Christum abnegauit penitùs, anne aliud refers?
D. Et iussa Mithrae tura cornigero dedit.
S. Hûc tu querelas confer; hîc lacrymis locus:
Sors ista gemitus poscit; haec miserum facit
Non qua dolebas antè. Sed quinam obsecro
Hunc casus, aut quae caussa praecipitem dedit.
D. Primū haec Tyrannis sueta, blāditiae, preces,
Promissa; terror inde, poenarum minae,
Et quicquid ardor Regis irati potest.
Quae voce sola quandiu, & factum citra
Admota vis est; pectoris contra vigor
Haud poenitendus haesit. Vbi ventū ad manus:
Vbi secta crebro verbere, & lenta face
Adusta sensim membra: tùm nudum latus
Ahenus vnguis carpsit: aut sulcos arans
Dentatus haesit pectine infesto chalybs.
Labare primum senior, & poenae moram
Paulùm precari: substitit saeui manus
Carnificis. Exin precibus, hortatu Sapor
Instare; & omnes inde poenarum simul
Obiicere facies, armaque: hinc aram, & focos
Micasque

Micásque Eoi turis, ac turpis Mithræ
Simulacra; Et, horum fas tibi alterutrum modò
Optare, Princeps clamat: aut digitis tribus
Excutere in ignes tura (quippe aram super
Manum coactus tendere, & summis gerens
Inserta digitis stabat) aut quæ tu vides
Rursum experiri. Quantulum est Diuis semel
Dare tura? Contra hæc pauidus & mortis senex
Terrore fractus cessit. Vt Tauri iugis
Medióve Orontis vertice annosam ruunt
Aduersa quercum flamina. Hæc primum situ
Concussa dubias hinc & hinc crispat comas;
Iam iam ruenti similis; ac tandem solo
Auulsa præceps turbine ingenti cadit.
Sic ante nutu noster incerto minax
„ Demum ruinam traxit. S. Et quisquam sibi
„ Confisus animos pectore ingentes alit?
„ Supráque reliquos vertice erecto tumet?
„ En summa Libani culmina aërio tenens
„ Enodis apice cedrus; ac totum coma
„ Virtute subter vna despectans nemus,
„ Afflicta terræ est. Inclytum late iubar
„ Claro propinquas lumine obscurans faces
„ Cælo refixum cecidit. Hæc nostris fides

,, *Habenda rebus: quantulum humana queant*
,, *Vires ab vno disce. Magnum aliquid vetat*
,, *Iactare de se lubricus vitæ tenor.*
,, *Pronúsque ab alto lapsus. Haud leuior freti*
,, *Impulsa ventis vnda diuersis furit.*
,, *Nec, quæ inchoantis frigus Autumni rapit*
,, *Leuiora syluis folia populatis volant*
,, *Hominum caduca stirpe. D. Quæ memoras, Pater!*
Meditatus equidem, veráque expertus, scio,
Sed nil perinde, fateor, vt præsens viri
,, *Euentus hoc me docuit. S. Alterius sæpe*
,, *Doctus periclo: fragilis ac sortis memor*
,, *Moderata sequere: tutus hâc cursum reges.*
,, *Nec te Tonanti subditum; & nocte ac die*
,, *Arcana cœli fata metuentem, opprimet*
,, *Ille ille nostras hostis in clades vigil;*
,, *Cui præda factus alter. Ex illo cape*
,, *Quid te pauere deceat. Hic fructus mali est.*
,, *Quippe hoc superbos ruere consilio finit*
,, *Terræ atque Olympi Rector; vt stantes gradum*
,, *Firmare discant: pœna vt in paucos, metus*
Fructúsque in omnes paria metuentes cadat.

Chorus Christianorum.

ANAPÆSTICI.

Nos Christicolûm turba Tonanti
Tecum paribus deuota sacris
Casus lacrymis gemitúque tuos
Mæsti insequimur, perfide magni
Principis altor! Tibi nostra, senex!
Tantis meritò perculsa malis
Crebræ feriunt pectora palmæ.
Lugeat orbis quacumque plagâ
Gens fallaces exosa Deos
Castæ sobolem Matris adorat.
Sed te reliquis iustius vna
Persis miserum plangat alumnum.
Nunc flebilibus lamenta modis
Prodant tacitos conscia luctus.
Nunc perpetuis, haud surda tamen,
Pulsata sonent astra querelis.
Quales, lacerum dum plangit Ityn;
Ales gemitus Daulia fundit.
Aut aëriâ tristis ab vlmo
Ciet amissa compare turtur.
Cum iam solitæ secura dapis,
Sicco immoritur stridula ramo.
Vndique mæstos fundite fletus:
Largúsque genas perfluat imber

Non Iessæi miseranda magis
Olim fuerit nænia Regis.
Seu cum Allophylo Marte iacentem
Regem socerum, socerique genus,
Dulcem cecinit tristis amicum.
Seu cum merita cæde perempti
Horrenda gemit funera nati.
Qui fatidico scelerata mouens
Bella parenti, patulæ quercus
Densâ implicitus crate pependit.
Tergáque certæ ferienda miser
Præbuit hastæ.

Non vos querulis vocibus alter
Superet vates: cui parua dedit
Ortus Anathoth; flebile carmen
Victrix Babylon, versáque in ignes
Vrbs barbaricis inclyta bellis:
Et pacifico fundata Duci
Delubra pari sparsa ruinâ.

Non strata solo mœnia, & arces
Face succensas; lethóve datum
Cari querimur corpus amici.
Nos nos animi grauiora mouent
Damna ruentis. Nos sacrilegis
Iniecta foris tura, meríque
Fusos latices Solis ad aram.
Nos Tartareis caput obstrictum
Ritibus: & te magno soboles

Æquaua Patri Christe! negatum
Timidi querimur voce sodalis.
O fallacis nimium vitæ
Cupidos homines! Cui tarda cutem
Contrahit ætas: grauidæque caput
Splendens niueo flore senecta
Vocat instantis tempora lethi.
Tùm procuruâ ceruice rigens
Pronis tumulum lustrat ocellis:
Spes ille tamen longi in spatium
Porrigit æui: votáque demens
Vltra Pylios prorogat annos.
Ac dum dubiæ lucis auarus
Incerta timet perdere lucra;
Sibi certa miser damna rependit.
Quis te tumidis fluctibus haustum?
Quis te laceræ parua trahentem
Ratis infidæ tabulata, senex!
Superûm ex alto spectet Olympo:
Facilesque tibi Numinis æqui
Applicet aures?
Hûc tu lacrymas, hûc verte preces.
Queis nulla dies, nox nulla vacet.
Eadem iusti meta doloris
Tibi quæ fragilis conuenit æui.



ACTVS III.

Sapores. Chorus. Simeon.

DERIPITE *collo vincla: laxatis*
senex
Compedibus ægros cominùs gressus
ferat.
Licet huic scelestum rumor affingat nefas
Ego sparsa canis tempora, & longo caput
Æuo grauatum veneror. Ac forsan sibi
Iam sanus vltrò tuta consilia expetet.
Quæ capere porro iubeo, vel, si fas, precor
Te, quem senili decore conspicuum ferunt
Pollere mentis dote: quem populos supra
Conspicua virtus nobilem, ac toto inclytum
Oriente celebrat. Decora, quod meritò dolet,
Tot vna labes carpit; in Superos ferox
Quod vana sequeris somnia; & turpem Deum,
Vetitosque nimiùm credulus ritus foues.
Quantum ista per se sceleris impietas trahat,
Contage quantum noceat in vulgus, piget
Quod me tacente cernis, incassùm exequi.
Sed certa tamen est venia; si culpæ modum
Male pertinacis statuis, atque istam paras

Exuere mentem. Criminis tanti potest
Quæ lenior esse pœna? Quin, si nos amas,
Geminos latrones inter obscœnæ crucis
Fixum pudendo stipite abiura Deum.
Veniámque Superos posce. Mutati feres
Securus animi præmia: allectum gregi
Procerum, & cohorti regiæ in paucis fides
Te magna rerum spectat. Hoc vno minor
Sceptro, capesses cætera. Ch. Haud sanum putes;
Ab Rege quisquis talia inuitus capit.
„ *Sa. Tanti est sagaci pectore atque vsu comes*
„ *Populos regenti; cuius arbitrio & fide*
„ *Commissa tractet sceptra. Nam Regni decus*
„ *Non arma; non vis militum; aut cæcis opes*
„ *Latebris reposta: non in hostilem impetum*
„ *Disposita latè castra: sed Regum in manu*
„ *Consilia firmant. Sic vbi imbrifera iubar*
Grauidum procella crine terrifico exerit
Minax Orion, siue Parrhasiæ iubar
Pluuiale capreæ; non lacessitas Noto
Numerosa puppes remigum explicuit manus.
Sed qui profundi sæpè permensus freti
Longinqua obiuit spatia: nec cœli rudis
Stat puppe celsâ rector, & cursum regit.
Hæc supplicem me proinde; te nostro facit
Regno expetitum causa: descendi ad preces,

Nec rege dignas. Fruere, dum per me licet;
Pietate nostra; teque ad obsequium refer.
Placare Superis: manibus admotus piis
Incendat aras turis Eoi vapor.
Ch. Pia est petentis causa, quid tanto sequi
Authore dubitas? vanus abscedat tumor.
„ S. Heu! quàm potenti blandus illecebrâ fauor;
„ Et aura Regum facilis, & bonitas trahit
Armata precibus. Cætera absistant licet;
„ Qui quod precatur cogere inuitum potest,
„ Cogit precando. Mortis accedat timor,
„ Et pœna præsens: stare quis presso gradu;
„ Atque irretortos figere obtutus queat?
„ Sed digna cœlo pectora, vt stabili domus
„ Fundata saxo, turbine haud vllo labant.
Abijcere Christum, vestráque amplecti iubes;
Nec parua scelere pretia pro tanto paras;
Prope iura regni socia. Nil causa loqui
Nostra necesse est, quid tua intersit vide.
„ Ars prima Regum est, nosse cui tutô Imperi
„ Arcana credant, quósque in obsequiū legant,
„ Probare fidos. Paululum hoc tecum exige.
Mihi quisquis ille est, odia quem contra foues,
Deus est, erítque semper. Hunc meritô, an secùs
Errore statuam; nil meam ad caussam facit.

Quippe esse talem statuo. Nunc pro te Deum
Abnuere, & aris pellere insontem iubes.
„ *Finge obsecutum. Quem fore in dominum putas*
„ *Qui cogi ad ista potuit? Hic tanti capax*
„ *Sceleris, datámque Numini extortus fidem,*
„ *Impendet homini? Prospero Imperium statu*
Tuum est, diúque seruet hoc Christi fauor.
Sed versa crede crede fata: quíque acie modo
Infestus in nos bella Romuleâ parat.
Paulùm secundo Marte trans geminum legat
Porrecta flumen, quaque solicitas prece,
Qua spe metúque subigis, in partes vocet.
Quid facere sodes deceat? An patriæ immemor
Ausonia vilis castra desertor petam?
An mille satius mortis in species rapi
Tua quam resoluiiura? Sic vel te reor
„ *Authore quiuis faciat. Ergo istis modo*
„ *Præludere animis patere; nec veteres metu*
„ *Mutare dominos, prodere aut pretio doce.*
„ *Eadémque metue. Quippe perfidiæ seges*
„ *Magnum illa fœnus pariet. Ac ne te morer,*
Operámque frustra dederis; hæc paucis memor
„ *Cape dicta Princeps! Regium vt populo caput,*
„ *Sic rege Deus est maior: huic præ te obsequor,*

,, Cui te subesse sceptra tractantem scias.
Sa. Quod me rogante renuis, hoc forsan dari
Renuente cupias. Vela, dum venti fauent,
Et tuta placidis unda mitescit vadis,
,, Committe pelago. S. Tuta quæ speres, breui
,, Mutata feruent maria. Sic dubia vice
,, Fallax potentum est gratia, & mollis fauor.
,, Vt cum coruscâ Solis oppositi face
,, Cærulea nubes ardet, ille oculos tenens
,, Arquatus orbe fulgor incepto micat.
,, At mox caduca luce vanescens perit.
,, Sed certa finge præmia; & fortis tenor
,, Fauentis idem maneat: Vt primùm sopor
,, Æternus ora clausit, & furuo caput
,, Damnauit Orco, decoris hic vestri excidit
,, Cum luce pariter fructus. Hac vecors tamen
,, Mercede Simeon Tartaro obstringat caput,
,, Turpémque diri sceleris arcessat notam?
Non, si quid isto in corde vel minimum sapit,
Hoc faciet vnquam. Sa. Quin age cuictus malis
Seruire disce tempori, & specie tenus
Præ te ista saltem habere. S. Quo flecti iubes?
Sa. Quo iussa cogunt regia. S. Vt vano Deos
Errore fictos, silice & informi calam.

Excisa trunco monstra? vis nulla exprimet
Tam turpe facinus. Nulla me Christo dies;
Mihi nulla Christum rapiet. Sa. Hunc oculis vides
Alma parentem lucis, æterno celer
Qui cuncta raptu vegetat, & mundum regit?
Quodnam orbe toto maius aut melius potes
Optare numen? Lumina hûc agedum leua.
Quid is pudendum supplici, atque infra Deum,
Æternus, expers labis, ac felix habet?
Saltem hunc adorans cælitum ex omni lege
Numero, sacrisque recipe. Qui vitam dedit,
Cuiúsque liquidò spiritum ex haustu trahis,
Hunc refugis, & te numinis tanti piget?
Huic facile grata vocis officium negas?
„ Quæ laude merces, memoris atque animi fide
„ Benè in merentes leuior? At tanto nefas
„ Etiam hanc negantis grauius. S. Hunc Solem iubes
Aspicere? Sa. Vt ipso numen aspectu scias.
S. At tu vicißim cerne. Sa. Quid porrò libet?
S. Quodque hunc corusca siderum intextum face
Sublime cælum turbine aßiduo rotat:
Et vasta Nerei spatia; quaque infra polum
Librata tellus æquore in medio natat.

Hæc tu intuere cuncta. S. Nil factu graue est.
Sed quæ tuendi causa; quóve istud rogas?
S. Cœlo reuulsum citiùs in præceps quati
Solem hunc videbis; vel face extincta diem
Subtrahere rebus. Antè se in terras poli
Operosa moles soluet: inque huius locum
Subuecta tellus scandet; ad priscum Chaos
Fractus redibit orbis; ego tales Deos
Quam thure & aris digner, aut mortis metu
Vel spe subactus, Christe, præ te aliquid parùm
Seu fortis animus, lingua seu mendax ferat.
,, Proinde ista sodes mitte. Quod nulla queas
,, Vi facere, stultum est persequi. S. Vt mendax fidem
,, Plerúmque in omnes fama de paucis capit!
,, Nam quid senile sapere plus aliis caput,
,, Sedémque canos consili ac mentis ferunt?
,, Quam fatuus ille est sæpè, quem longo senem
,, Vsu peritum, pluráque expertum putes?
S. An & ille, fatuum sæpè quem credas, sapit?
Sa. De te haud fatebor. S. Sapere me hoc animo negas?
Ego te, tuósque quisquis insanus Deos
Aut posse credit aliquid, aut mutos colit.
Sa. Quanquam feroci est corde, nec lingua modū

In nos procacis nouit, ac rigida iugum
Ceruice refugit: aliud actutum loqui
Vindex docebit neruus, & pernix rota,
Et fune torto membra distendens equus.
His ille forsan victus absistet rigor.
,,Et igne ferrum coquitur, & crebra chalybs
,,Incude domitus cedit. S. Acceleres licet,
,,Nostra anteuertent vota: Sa. Non idem malo
,,Vrgente constat animus; & præsens dolor
Magnifica reprimet verba. Vos intrò virum
Compingite æris pondere, ac vinclis grauem.

Vsthazanes. Simeon.

SALVERE *gratum iubeo Cælicolis caput,*
Decúsque gẽtis Persicæ. Hũc placidos, pater,
Conuerte vultus? S. Propius accedas caue,
Dextrámque socies. V. Nam quid occursum negas?
Abi hinc, facesse. Parce sacrilega pias
Obtundere aures voce: nil tecum est mihi
Commune posthac. V. Petere si amplexum vetas,
Agnosce saltem. Quod meum ob crimen furis?
Si. Pergin' molestus esse? Quà visum est iter
Prosequere porrò. V. Siccine excidimus tibi?
S. I nunc: iubárque Solis, aut Mithræ focos,
Ignémque adora. Veniet hæc veniet dies,

Grauiore? quem nunc iustus accendit dolor.
Det ille veniam supplici, aut vllas tamen
Post tam scelestum facinus admittat preces?
Vix hac licet sperare: nec tantum sibi
Promittere audet animus. Et melius quidem
„Nescio quid intus agitat. Hac frustra in malis
„Orata nunquam, pronáque in miseros Dei
„Pietas recursat: nulla quam moles mali
„Peruincit. Et, si vera correpti Deo
„Cecinere vates, crimini ingemuit nocens
„Qua luce cumque nulla parcendi mora.
Promissa venia est. Sceleris ah! sceleris piget,
Pudetque nimium. Testis occulti arbiter,
Quem nil sub imo pectore abstrusum latet;
Fecisse quantum doleat. Ah! potius forem
Damnatus atra nocte; nec nitidum poli
Vtero parentis fusus aspicerem iubar.
Aut vita in ipso limine extinctum semel
Pracox acerbo funere obrueret dies.
Sed tarda nimiùm vota. Tunc decuit mori,
Cùm templa peteres: tura cum sacris dares.
At tu profundi spatia qui mundi reples;
Has cerne lacrymas Genitor! hos gemitus cape
Testes doloris. Solita si tecum est adhuc
Pietas: per illum corpore exhaustum pie
cecr cruorem: perque crudeli latus

Mucrone fossum; perque deiectum solo,
Fixúmque acuta vepre sidereum caput.
Sin penitus actum est: capite ab impuro gra-
ues
Per te ipse pœnas posce. Seu cœlo magis,
Seu petere terris arma, seu pelago libet.
Tibi militabit orbis. In me omnes simul
Intende furias. Veniat excussum manu
Potente fulmen: Terra me viuum obruat.
Qualis rebelles iussa Legifero duci
Nabathæa tellus hausit, aut qualis Polo
Flagrante subitò missus incestas latex
Sulphureus vrbes mersit: Hæc decuit pati:
Hæc execratum sorte damnari caput.

Chorus Christianorum.

CHORIAMBICI.

O FELIX *animi! cui subitus fa-*
uor
Tam præsentis opem Numinis attulit.
Cui sensum horrifici criminis, & metum
Offensi pariter Iudicis indidit.
Quo mortale genus fata sub arbitro
Inconcussa manent: cùm populos tubæ
Tyrrhenus tumulis exciet sonus.
Tunc rerum facies horrida; cùm frequens
Pennis Aligerûm præpetibus cohors

Hûc illûc volitans signa iacentibus
Rauco prodiderit murmure cornuum.
Mox effusa hominum corpora, liberum
Tellus è latebris fundet in aëra.
Quodcunque in cineres fluxerat obrutum.
Quicquid morsu auidus vermis adederat.
Quodcunque æquoreis piscibus, aut feris,
Aut crudis fuerat præda volantibus.
Quicquid flamma vorax carpserat; Alitis
Momento horribilis restituet fragor.
Et magni solio Principis offeret;
Quod flammâ, & rapidis fulguribus minax,
Curuabunt rutilo nubila fornice.
Hûc cum sceptriferis Regibus infimos
Permiscens populos sæua necessitas,
Ferratis miserè nexibus implicans,
Flecti non docilem coget ad arbitrum.
Eheu! tunc scelerum conscia pectora
Quantus terror aget! Quò rapiet fugam?
Quas sese in latebras? quos dabit in specus
Infelix hominum progenies, Dei
Iracunda timens cernere lumina?
Pars iniecta suo culmina montium
Optabit capiti. Pars patulis, humo
Laxata cupiet faucibus obrui:
Et quem iussa petet, mox Erebo tegi.
Circùm flamma rapax; orbis & igneæ
Ardentis prohibent effugium faces.

Tum rupta horrisonis fulmina nubibus:
Armataque vetant carnificum manus.
Donec læta bonis præmia diuidens
Sontes fulmineâ voce perennibus
Vindex Omnipotens subdiderit rogis.
Hæc commissa tibi supplicia eluent
Mutati in melius pectoris indices
Fletus, & lacrymæ; nobilis impij
Altor Principis! & solicitæ preces.
Tum flammata fides, ausa potentium
Decertare odiis; atque admantino
Regnantum furias robore perpeti:
Occlusum timidis euehet ad polum.
Abstersâ melior iam maculâ nites.
Orci Tartareis faucibus erutus.
Securus veniæ, quâ licet, acriùs
Obstantes remoue firmius impetus.
Non te mollis inertia:
Lucis non amor improbus:
Non mortis superet timor;
Pœnarúmque leues minæ.
„ Duris empta laboribus
„ Fortes palma viros beat.
Quem victoria compotem
Frondis fecit Olympicæ?
Cui claros reduci ad lares,
Curru quadriiugo vehe' as
Muros diffidit vrbium?

Si non curriculo citos,
Aut saltu explicuit pedes:
Aut crudis patiens pugil
Strinxit brachia cæstibus?
Si quem Christicolûm decus
Tanti nominis allicit.
Cui promissa fugacibus
Ærumnis requies placet.
Quem Christi auspiciis iuuat
Signa, & militiam sequi:
Cur miles pauidus sui
Exemplum ducis abnuat?
Hic iurata suum in caput
Orci dira satellitum
Nullus castra perhorruit.
Hic lethi genus asperum
Turpi stipite pendulus
Insons pertulit, & Deus.
Nos vitæ, scelerum rei,
Mortalésque; quis hoc ferat?
Vitæ parcimus: & breuis
Per dispendia temporis
Æternis caput ignibus
Subtraxisse; vel arces
Captasse æthereas piget.
Diuis macte bonis senex!
Eradendus inutilis
Æui quod reliquum est; amor

Post mentis specimen probæ.
Post certamina fortibus
Instaurata animis, parem;
Si non vana monentibus
Aures commodus applices,
Inceptis dabis exitum.



ACTVS QVARTVS.

Vsthazanes.



„ QVISQVAMNE *vitæ credit? heu quantas vices*
„ *Nec opina celeri tempora euoluunt rota!*
„ *Quā nil perenne est! quodq; māsurum putes,*
„ *Breuis hora spē votúmq. frustrata impulit!*
„ *At mens futuri cæca, nec rebus modum*
„ *Seruare lætis, stare nec didicit malis.*
„ *Incerta vecors, nec sui aut sortis memor.*
„ *Vt sparsa leuibus stipula vanescit* Notis.
„ *Vt grauida ventis bulla conceptis natat,*
„ *Summoque pelagi marmore vndantis tumet.*
„ *Mox fracta in æquor sidit. Haud alia fluunt*
„ Humana *sorte. Quicquid inuitus tuli,*
Hoc quicquid egi mortis attonitus metu;

Nec si polo delapsus Aligerum fore
Cecinisset aliquis, faceres huic homini fidem.
Nunc ille demum rigidus, indomitus tumens,
Acerque, nec dum robore expenso ferox
Turpi ruina sternor. Vt cecidi miser!
Vixque hoste pauidus terga conspecto dedi!
Pudet heu! pudet cessisse. Sed pudeat licet,
Cessi. Quis ista labe maculatum eluet
Aut Tanais, aut septena torrentes aquas
Per ora voluens Ister? aut qui Persicum
Eufrate Tigris auctus in Pontum ruit?
Non si rubente penitus immergar vado;
Totúmque Nerei corpore excipiam fretum,
Purgare possim. Criminis tanti notam
Mors expiabit sola: fundatur cruor.
Largóque terram flumine exhaustus riget.
Ille aestuantes sceleris in poenam mei
Restinguet ignes: ille & occlusâ Styge
Meritis negatam pandet ad superos viam.
Pergam adeò, & ipsum aggrediar. Actutum foras
Erumpere animus gestit. Haud paruo scio
Constabit istud. Qualis ardentes ciet
Punicea Tauros pila, vel Lucas boues;
Vt torta saeuas verbera irritant feras
Patente Circo. Talis ad voces meas
Immane quantùm barbarus Princeps fremet.
Sed perimat. Hac hac vna, si iubeat mori,

Merces abunde est. Nam quid in vita est
super,
Quare ipse lethum verear? In pretio mala est
Tot occupare morte. Nec vita bonis
Superesse. Tu me robore afflatum nouo
Olim rebellem; nunc tuum, si fas loqui est,
Accinge pugilem. Da metu vacuum necis.
Da forte in hostem pectus, & linguam expedi.
Atque ille contrà graditur. Est animus vi-
rum
Præstare.

Vsthazanes. Sapor.

V. Placidas commodes paulum precor
Aures loquenti. S. Quàm voles faciles dabo.
„ V. si Sana semper capere mortales queant
„ Consilia, Princeps! nullus errori locus;
„ Nec pœnitendi caussa: nec veterem nouâ
„ Mutare mentem tardus incumbat labor.
„ Nunc qualis actos calle prærupto videns
„ Auriga currus, hæret, ac dociles sequi
„ Flectit quadrigas. Tale subsidium est, retrò
„ Malè constitutis ferre decretis pedem.
His sapere nunc me casus exemplis docet.
S. Ambigua mitte verba: quid portes rei
Edissere agedum. Fronte quid mœsta pre-
mis?

Quid iste cultus squallor insoliti arguit?
V. Quod te minùs fortaßis auditum iuuet.
S. Committe in aures cuncta securus meas.
V. fas sit fateri crimen. S. Ergo vllum tibi
Crimen peractum est? V. Turpe, & horrendum, & nece
,, Quauis luendum. S. Quis suum nullo scelus
,, Cogente prodat? V. Quem benè admißi pudet.
S. Quis ille porrò est, quem tuum hoc spectat nefas?
V. Te, magne Princeps! Turpibus prudens dolis
Ego te fefelli. Quippe non animo tibi,
Non obsecutus mente; sed dextrâ tenus
Quos execrabar, Persico ritu Deos
Supplex adiui. Testor hunc alium Poli
Ego quem potentem veneror: extortũ metu est
Quodcunque feci. Proinde deuotum in caput,
Si pœna satis est vlla, quæ culpæ est satis
Decerne Princeps! S. Pœna, si noxæ piget,
Remißa sonti est. Nunc te age in melius refer.
Mecúmque Diuûm sacra non fictus cole.
V. Num vera porro liberè effari iubes,
Nec fallere vltrà? S. Iubeo. V. Nec Mithræ iubar;
Nec qui reductis vester in latebris manet,
Æternus ignis, numinis quicquam reor
Habere. Mutum hoc corpus, & sensu caret,

Infráque sortem est hominis, & vita datus
Vterque in vsus. Hæc tibi ex animo palam
Non lingua mendax aperit, ac vana fide
Demulcet aures. Rursus hunc testor Deum
Qui pectore vnus condita arcano videt.
At tu, penes quem est corpus, & vita ac necis
Ius omne, quiduis statue; discerpi iube,
Lacera, perure, distrahe; in partes seca.
Non aliud vnquam pectore ex isto auferes.
S. Quis te repens vesane præcipitat furor?
Quæ saga Magico murmure, aut herbis anus
Tui impotentem reddit? Haud fallax tamen
Christi gregales artis illicitæ reos
Olim peregit fama. Sic vulgi ferunt
Illudere oculis: verbera, & mortes pati:
Et mille monstris fallere. Haud vnquam tulit
Documenta vbique sparsa terrarum fides
Præsentibus maiora. Quid turpem allinis
Labem senectæ? quosque maturus decor
Commendat annos, fraude puerili implicas?
V. Hic ille pauido nuper extortus Deûm
Mendax ad aras cultus; hoc vestræ scelus
Fraudi imputandum est. S. Nilne te Regum mouent
Imperia. V. Fixum est: Nullus extundet timor.

S. Parata

S. Parata mors est. V. Veniat: optanti dabis.
S. Haud illa simplex dabitur, aut facilis tibi.
V. Fac lenta veniat, sauáque, & senio graues
Populetur artus: Latus exsoluam Deo
„ Quod decuit olim. Dura quod meliùs feras,
„ Merces reposta est maior. S. Haud compos
tui es,
Quænam illa rabie secta vesana æstuans?
Hic hominis ille sensus, an potiùs feræ?
Lacessere vltrò fata, & in ferrum impetu
Induere semet? V. Melior extinctum manet
Cum Rege Christo vita, nec lethi capax,
Tranquilla, felix. Hanc ego amplexus sequor
Ardore toto. S. Nempe quod passim occinunt
Melioris æui præmia. Hac sectam fouent
Mercede. Quid tu somnia hæc tanti facis?
„ V. Tanti est obire fata, dum cœlo fruar.
S. Quid certa perdis pretia, dum ignotis
studes?
Quòd si necis cupido tam vecors agit,
Odiúmque vitæ; compotem voti dabo.
Christum sequêris. Quis malùm hic hominis
stupor?
Hoc ille ab vrbe ductus Assyria struit
Sectæ magister: qui malè, vt meruit, nocens
Luce hac peribit. Saxeo hunc conde specu.
Regnare frustra dicar; & frustra manus
Inane sceptri pondus Eoi grauet,

M.

Impunè per me tale si exemplum licet.
Auehite monstrum hoc. Viue tantisper, genus
Dum mortis in te, quale commissum est, paro.

Vsthazanes. Miles.

BELLE est. *Secundos vota successus habēt.*
Optāda miseris, debita & sonti propè est
Mors luce potior. Summa contigimus spei.
Morière. Ferro, aut igne pensandum est nefas.
Obeunda tandem pœna. Quam potui bene
Sine crimine insons perdere, hac sceleri meo
Vilis litetur anima. Sic satis est semel
Periisse? Fac sit Numini offenso satis.
Quid quos tuo desertor exemplo trahis?
Qui te Deos authore fallaces colunt?
His consulendū est. Proinde tentandū est iter,
Mecum vt reuulsos Tartaro ex imo eruam.
Agenda mecum hæc spolia. Sic læsi furor
In me Tonantis ponet. Hac pompa ducem
Comitante superas lætus in sedes ferar.
Quì dabitur autem? Sentio: inuentum est mihi,
Nisi fallit animus spésque, quâ lapsis opem
Reditúmque præstem. Quisquis est culpę comes,
Hic si pigere sceleris authorem audiat,
Mortémque serò petere: fors illum pudor,
Et emenda pretio lucis afficiet salus.
Ergo illa nostra fama, quàm longè potest,

Spargenda necis est; vrbe quo totâ sciant
Quam me abnegasse pudeat. Hæc sistet dies
Pronum in ruinam vulgus, aut lapsum eriget.
Atque ecce miles: commodùm hîc custos adest.
Per hunc quod optas dabitur. Hûc sodes veni.
M. Quæ causa? V. Quod me petere, te fas exequi est,
Abs te impetrare liceat. M. Haud frustra petas,
Quodcumque saluo capite præstari potest.
V. Nil tale noster petere consueuit pudor.
M. Agedũ profare quicquid impensum cupis.
V. Facile est, & ipsum precibus hoc solis eget.
M. Quem me iubes adire? cui ferri preces?
V. Qui regna patrio Persica imperio regit.
M. Et quid tuopte nomine hunc supplex rogem?
V. Quòd tam rogãti suaue, quàm factu leue est.
M. Pœnã vt remittat, cui tuum addixit caput?
V. Mene ista censes cupere, cui votum mori est?
M. Laxare saltem tempus vt mortis velit?
S. Neque hoc petendum, nec leuis tanti mora est.
M. Quidnam aliud ergo est, quod tua exorem vice?
S. Scin' quo reuinctus crimine in pœnas agor?
M. Quod Christi adoras Numẽ, ac cœlo inferis.
S. Palam hoc per vrbis ora differri iuuat.
M. Quid? Obire fata temet, ac iussum mori?
S. Imo hoc peremptum crimine. M. At quorsum cupis?

Quid iste pretij titulus aut fructus habet?
S. Ne quod nefandum facinus adscribant reo.
M. Parúmne vestra hæc sceleris impietas subit?
S. Ergo illa nostra causa prodatur necis.
M. Quicquámne spargi grauius in populũ times?
S. Timeo. M. Quid illud deinde? S. Perfidiæ nefas
Ne quod sinister rumor in populum trahat,
Lethúmque tacitâ fraude commissum putet.
Ergo hæc cauenda est fama. Tu Regem pete:
Affare, Si me cætera insontem probet,
Culpáque vacuum: Si mea haud vllâ fides
Aspersa maculâ est: vna si Christi grauat
Pietas, Deúmque turba non patrio mihi
Dignata cultu; hunc seri in vulgus sinat
Titulum necis causámque. M. Quid lethi propè
Positum sub ictu cura sollicitat minor?
Quin tu ipse seruas temet, ac Regi obsequens
Vitam capútque, dum licet, morti eripis?
V. Factum est: Abire, nec retrò, vt libeat, pedem
Reuocare possum; nec mihi, vt possim, libet.
Proin tu monere desine: ac, si quid facis,
Mandata perfer Principi. M. Haud decero quidem;
Nec ille credo facilè morituro neget.

Vsthazanes. Simeon. Miles.

QVIDNAM *aliud vltra restat? hoc vnum reor;*
Tandem vt verendi ruere in amplexus senis,
Et adire casto liceat. Hunc vtinam alloqui!
Vtinam intueri detur: atque eccum subit.
Grauant catenæ colla, & informi riget
Pædore corpus: blanda sed solito magis
Facies renidet: conscium & sibimet bene
Gestit, salitque pectus. S. O faustum diem!
Quam lætus aures rumor ad nostras iit!
Miserum hunc relicta fraude fallacis via
Rediisse tandem; téque, qui solus regis
Humana, consors maximi soboles patris!
Regis professũ ante ora. V. Quò celeras gradũ?
S. En tune nobis redditum ac cœlo caput?
Translate Christi in iura? fer propiùs pedem.
Quo te retorques? V. Frontis hic castæ decor:
Hic ille vultus terret: aspectus pios
Mens sceleris horret conscia. S. Hunc etiam times,
Qui te vel ipsâ luce, plúsque oculis amat?
Ades: licet iam labe purgatas manus
Dare, dum piæ sunt. Teneo, quem votis diu
Lacrymísque petij: cuius haud paruo mihi
Renocata pietas constat. Est certè Deus:

Certe aliquis illîc corde conceptas preces
Non lænus audit. Quàm benè impensus labor!
Quàm non inanis noster hic pro te fuit
Gemitus dolórque! V. Quid tibi hæc cōtra queā
Referre? Grates quas tibi infelix agam?
Tu mihi parentis instar: Imò adeò parens
Satore propior. S. Respice authorem tuæ
Christum salutis potiùs. Huic te te imputa,
Quem nemo frustra lapsus auxilio vocat.
Volente nemo periit. V. Agnosco libens,
At te secundū hunc veneror: Hanc animā tuis
Debere meritis fateor: absque illis foret,
Adhuc iacerem. S. Robur ex illo cape
,, Animúmque casu. Disce quo lapsus modo,
,, Quanam ruina stratus, ac rebus pete
,, Documenta dubiis. Numinis virtus habet
,, Proprium hoc & ingens, vt bona ex ipsis trahat
,, Maiora damnis. Ille de pecorum grege
Isacia quondam ad sceptra translatus puer,
Vt adultus arsit veneris illicitæ face;
Post illa demum stupra, & infames toros,
Cædémque, & hosti proditum insontis caput,
Ardore quanto tactus ad sese redit!
Quid ille? Christus cui suas moriens vices
Commisit, orbis Rector, & cœli arbiter?
Quali ruina fractus, & famulæ metu
Quo tu iacebas scelere commisso, gradum.

Reuocante Christo retulit, & casu stetit
Firmatus illo? Cætera vt parcam eloqui
Operosa series cogit. Exemplo vtere:
Gemitúque Superos flecte. V. Quid gemitu?
Parum est:
Nisi & hoc rebelli spiritu, ac vita exuam
Senile corpus, iamque deuotum neci.
S. Magnum est & ista cupere: sed voto amplius
Potuisse. Nunc te ad facinus egregium para.

Chorus Christianorum.

Qvis *non cælo terrisque Deum*
Te, Magni soboles Patris,
Nec magno inferior Patre,
Regnare credat? Cui nihil arduum
Qui cuncta imperio flectis, & intimo
Illapsu penetrans quô libitum est agis.
Tu nocte densâ scelerum implicatis
Attollis Phœbo splendidius iubar.
Tu lethi ab ipsis faucibus erutos
Vitæ reponis. Te miser auspice
Culpæ sordibus obsitus
Maculas dolenti
Pectore exhorrens, veniam meretur.
Ceu cum frigore
Condito terris placidus Fauoni
Mulcet agros tepor, passim solutæ

Per plana riuis diffugiunt niues.
Liquitur summis regelatus humor
Collibus manans.
Sic cum rigenti corda nocentium
Durata saxo Christus amabili
Afflauit aurâ;
Perfusi lacrymis ora rigantibus
Horrificam labem eluunt.
Sic Princeps populis iura fidelibus
Olim daturus, mox vt instanti
Cessit Puellæ;
Timidáque Numen prodidit linguâ;
Miserante Christo fletibus largos
Emisit imbres. Nec infamis
Leuiore noxas diluit luctu
Flens perditum Magdalis pudorem.
„ Quid non imo corde profusæ
„ Possunt lacrymæ? Qui cuncta super
„ Eminet vnus; triplicis mundi
„ Latè imperio regna coërcens,
„ Cedit lacrymis. Sæpè rubentem
Armans trifidâ cuspide dextram:
Cum iam certos destinat ictus.
Siue in populos ira rebelles
Collecta furit: seu priuatum
Ruitura caput: simul ac scelerum
Conscia fontes pectora plangunt;
Aeniámque humili voce precantur:

Reprimit ſeſe, lentáque diu
Criſpata manu tela recondit.
Quid non miſeros ſperare iubet
Vrbs Aſſyrio fundata Nino?
Quam fatidico ferale canens
Amathi proles terruit ore.
Hæc poſt decies quater exactos
Vertenda dies, expers Cereris
Laticíſque, Polo brachia tendens,
Tum ſquallentes puluere ſparſo
Fœdata comas; viliquè tegens
Corpora ſacco; ſæua minantis
Victrix Domini, fatique, truces
Diſtulit iras, lacrymiſque alios
Iterum meruit ſtare per annos.
Quid lapſa moror ſæcula? Noſter
Nihilo priſcis memoranda minùs
Vſthazanes documenta tulit.
Quem peſtifera labe iacentem;
Tetróque animi funere merſum,
Pius ad ſuperos, vitámque dolor
Medio reuocans traxit ab Orco.
Age nunc animi, generoſe ſenex!
Chriſtique tenax, nimium pauidos
Compeſce metus; nec præterita
Reſoluta time vincula culpæ.
Quæ te ſubito turbine adactum
Placidi recreat cura Tonantis,

Magnísque parem reddidit ausis.
Hæc illa tuis noua sufficiet
„ *Robora cœptis.* Numinis *aude*
„ *Sperare fidem. Qui nunc latice*
Tua Palladio membra perungens
Mediâ pugilem sistit arena;
Alacres campo figere gressus,
Tandem & modico parta labore
Dabit haud modicæ præmia palmæ.



ACTVS QVINTVS.

Sapores Princeps Magorum.


VID esse dicam, quod superbifico tumens
Sacrilega fastu turba, suffixum hunc Cruci
Tam peruicaci mente Galilæum colit;
Huic seruit vni? Nec metu, aut certo necis
Terrore cedit? Alitur, & gliscit malis:
Suisque maius robur è damnis capit.
Non alia monstri fama, quod capitum ferax
Herculeus ægrè contudit flammis labor.
Sic missa magnos serpit in populos lues,
Unaque potior arte contactas domos.

Tabifica pestis haurit. Anne aliud rear,
Quod nulla sectam pœna grassantem premit,
Terrórque reuocat nullus? Et iustus tamen
Quodcunque in illos potuit, exprompsit dolor.
Quidquid ferox, immane, terrificum fuit,
Fractum irritúmque est omne. Nec blãda prece,
Crebrisue rabies victa pollicitis stetit.
Per dura pérque mollia indomitus furor
Tenore eodem constat, & flecti nequit.
Nec vtrumque in æquo statuit: in pretio mori est;
Pœnásque in omnes ruere, nec facili diem
Clausisse letho: quodque mirandum magis;
Vt quísque plura pertinax animi tulit,
Animámque lenta cæde luctantem expuit,
Hinc inuidetur. Cætera vt leuius querar
Ignota regi capita; Quid solo minor.
Genitore fidus altor? hunc quanta mihi
Ægrè receptum mole, & obsequio datum
Recidiuus iterum rapuit in præceps furor?
P. Mira hæc, sed istis solita, quos Christi in fidẽ
Sacrilegus aris cultus à patriis rapit.
Paucis receptum hinc ad bonam mentem Deus
Indulsit; & referre permisit gradum.
Pars maior hæret, certa in exitium prius
Quodcunque ruere, iussa quam Regum exsequi.
Imo hæc Auerna turba, si nescis, Stygis
Orcique famula est, Dæmonum interpres, Deos

Exosa superos, bella quos contra ciet.
Ergo irretortus, voce cum tacita iubent,
Stat luce media Phœbus, & pressos agens
Sistit iugales: nocte vel subita dies
Oppressa, stellis parte decedit suâ.
Iussere: fuluo lapsa de curru soror
Phœbea terras æthere ex alto petit:
Quâ molle rhombo stamen implicitum trahit.
Iussere: puro fulmen è cœlo cadit;
Nulláque adactum nube. Vidi egomet retro
Conuersa cantu flumina, & siccis dare
Calcanda pedibus arua, quæ nuper citis
Patuere ratibus. Iussa mox eadem suum
Ad gurgitem vnda rediit. Hic alius specum
Tellure rupta peruiam ad manes dedit.
Alius reuulsos penitus, atque ima erutos
Radice montes sede qua libitum est locat.
S. Quis ista credat? P. Vera qui dici sciat;
Non aure tantùm excepta, sed visu palam.
Hunc ipse, tua quem vincla damnatum tenent,
Simeona vidi sæpè cùm nudus pedes
Caputque, sparsis barbarum in morem comis,
Puraque cinctus veste, medicatos leui
Latices refundens rore, tum secum insonans
Nescio quid, auidâ pene consumptos lue
Curaret ægros. Reddita est cæcis dies;
Claudisque gressus. Cessa quinetiam æthere
Renocata vitæ corpora. Imo aliud viro

Iubente eodem, quodque vix habeat fidem,
Factum esse memini. Murmure exiguo, Deûm
Simulacra, nullo turbine, in terram graui
Cecidere lapsu; templaque operosâ diu
Constructa mole: vidi, & indolui malis
Licuisse tantum. S. Dignum ob hoc pœna reor
Grauiore, quàm non, vita si superest mihi,
Effugiet vnquã. P. Quin age: horrendũ magis
Atroxq. scelus est, fama quod celebrat vetus.
S. Quod illud, aueo scire. P. Secretos habent
Olli recessus, noctè quos tacita petunt.
Atque hûc remotis densa se arbitriis manus
Infundit: ætas omnis, ac sexus ruit.
Exin nefandus signa cùm Antistes dedit,
Subitoque sacris consciam extinxit facem,
Promiscua ardent venere, & illicitos toros
Rapiunt ferarum more: tum gnati parens,
Gnatus parentis temerè in amplexus furit.
Sa. Quid esse tantis sceleribus dignum potest?
Quæ par scelestis pœna? P. Parua hac sunt
mala.
Sa. Quid grauius illis proloqui, aut peius potes?
P. Vbi functa ritu turba funesto diu est,
Rursum aliud vrgent facibus accensis nefas:
Correpta puerûm corpora in partes secant
Ante ora matrum. Deinc Thyesteas dapes
Rabidi capessunt. Quôdque nec mos est feris,
Suamet refundit viscerà in sese parens.

Sa. Prò cœlitum alme Rector! hæc oculis potes
Prospicere? non hos terra demersos vorat?
Non fracta cœli machina incumbens premit?
Non vastus haurit põtus? Atque etiam moror?
Et viuere vltra patior? vlcisci ratum est.
Sed iam euocentur: summa tentanda est mali
Medicina. Coràm siste moriturum gregem.

Sapores. Simeon. Miles.

NEC *longa vitæ spatia damnatos manent.*
Nec vana perdam alloquia. Quod petimus breue est,
Simplexque: Christum abnuere, quos Persæ approbant,
Adolere Diuis iubeo. Qui faxit secus,
Mors constituta est: luce nemo ista amplius
Hunc quem rebellis spernit aspiciet Deum.
Quippe haud ferendum est; cuius authorem abdices,
Vltra intueri lumen. Hæc contra libet
Audire paucis vestra quo se mens dabit.
Tu quem ornat ætas grauior, exemplo præi.
Parùmque sanis pone consiliis modum.
S. Regi obsequendum est. Sa. Num fide hoc spondes bona?
S. Qua nulla melior. Sa. Vtinam id ex animo velis!

S. Æqua imperasti; facere quæ poscis, iuuat
Sa. Et his relicto thura Galilæo dabis?
S. At non iubebas ista. Sa. Quid demens canis?
Si. Præire sociis iussus, & sana exequi
Consilia m, orem proinde, ceu iussum est, geram.
Sa. Si nostra recipis Numina, & Christũ abiicis.
S. Cur hunc relegas? quidue commeritum mali?
Sa. Inuisa Diuis sacra celebrari veto.
S. Si Stygia Diuos monstra Tartareos vocas:
His displicere laudis immensæ est caput.
Sin fictus hominis hic tibi in speciem silex,
Truncusque Deus est, stipite excisus suo;
Odisse nec nos iste, nec Christum potest;
Qui se nec ipsum sentit. At lucis parens,
Qui certa cursu spatia dimenso regit,
Hoc nempe vestrum Solis exosum est iubar.
Cur me perenni lumine afflatum fouet?
Cur non opaca nocte subductos premit;
Conditque radios, & diem terris negat,
Cùm me vel istos cernit? Sa. Haud merito quidē
Tuo scelesto frueris. S. At quodnam est scelus?
Quæ fare noxa est, cuius arcessis reos?
Sa. Minora taceo. Quid quòd arcana impiè
Magicas per artes sacra, & infantum neces
Patrare mos est? quæque vulgari pudor,
Mærorque prohibet noster, hoc quicquid mali
Nox atra suadet. S, Vana, nec certa fide

Compeita memoras. Quippe tam dictu hoc leue est,
„ Quam non reuinci facile. Si temerè licet
„ Iactare quiduis, soláque est dicti fides
„ Potuisse dici, nemo non fiet nocens.
„ Sa. Vulgata in omnes fama quod constans refert,
„ Credi necesse est. S. Pars quota hac orbis canit?
Quantóque vestra maior hanc sectam fouet?
Quacumque Phœbi lampas occidui videt
Quæ medius axe torret æstiuo dies:
Quicquid Bootes frigore Arctoo premit,
Nostra illa regio est. Iura sub Christi Nomas
Vterque venit, quíque Mæotin tenens
Vagam ferino temperat victu famem.
Et qui minaci subiacet Cancro Libys.
His adice Eoo quicquid in tractu iacet,
Tua regna præter; totus authori suo
Famulatur orbis: hunc Deum, hunc Dominum canit:
Hunc lingua memorat omnis: hunc templis Deum
Non Graius, aut Romanus, aut si quis modo
Meliore ritu viuit. At sparsus Scythes,
Feróxque Alanus: quíque Phasiacas bibit
Hinc Colchus vndas; inde Caucasea sedet
Albanus exlex rupe, & Hyrcano mari

Quacumque propior Barbarûm tellus patet.
Hoc nemore pastor auio, & viridi sedens
Conualle nomen celebrat: hoc duro solum
Scindens arator vomere ingeminans vocat.
Sa. Impunè garris ista: nec quicquid malè
Consulta sequitur turba, si turpe est, amo.
S. Quin hoc quod omnes ista mortales probant
,, Obiecta purgat crimina. Improbitas diu
,, Paßimq. nulla regnat: vtque homines breui
,, Mentita fallat, fronte dum blandâ tegit
,, Lethale virus, tempore arguitur suo
,, Deprensa tandem. Sola se virtus probat,
,, Firmátque sensim. Desine insontes probris
Vexare frustra, quaque nec visu eloqui
Comperta, nec rumore, nisi vano, potes.
S. Subducere oculis ista, & aspectu solent.
Si. Da sceleris huius conscium, aut facti indicem.
Quanquam hæc requiro? Da mihi afflatum horridi
Sceleris vel vmbra. Nil ego alienos moror;
Si nostra simulat aliquis, & sceleris sui
Transfundit in nos crimen: & plures scio
Sub hoc latere nomine, vt pecoris lupos
Sub pelle tectos. Nam quod arguimur stupri
Et execranda veneris: hinc quantum putas
Abesse, quorum exosa genialis faces

Pars magna thalami cælibem vitam colit?
Pars fruge sola Cereris, aut herbis famem,
Riguóque pascit olere. Nec Baccho imbui,
Nec ora dulci carnium attactu sinit.
Nedum cruentas auida contingat dapes.
Vestrum omne vestrum hoc facinus: & ritu Magi
Didicêre patrio. S. Longa fac sodes lucri
Colloquia: téque ad tuta, si vitæ est amor,
Consilia reuoca. Miles hic tete labor
Respiciet. Omnes capite supplicium luant:
Nisi qui paternis tura reddiderit focis;
Mithráque Christum mutet. His noster comes
Accedat alter M. Munus extremum dari
Nescio quod abs te senior ante obitum rogat.
S. Quidnam est? M. Peremtum ne quis ob facinus putet,
Fidémque Regi proditam, in vulgus seri
Vtcumque res est optat: haud se alio necem
Meruisse titulo; quàm quòd excusus Deos,
Iterum negati nomen ad Christi rediit.
S. Æqua impetrandi caussa. Nec nostrâ minus
Referre statuo: ne quis hoc tutum putet:
Quo Regis alter crimine occiderit parens.

Princeps Magorum. Simeon. Pusices. Ananias. Chorus.

AVDITA *Domini iussa. Cui cordi est salus,*
Opibúsque patris Regis adiunctus fauor;
Caesâ potentem victimâ Mithram colat.
Quid tardus heres? Quin te ad obsequiū paras?
S. Occidere certum est potiùs, ac mortem pati:
Et si quid vltra est. Nec tamen facilem volo.
Consume poenas antè: perque omnes mali
Discurre facies. Seu rapi in partes iubes
Diuisa ferro membra; seu flamis cremas:
Seu facibus vstos; siue distractos rota
Voluente torques; nulla confisos Deo
Tormēta quatient. P. Abripe infandum senem.
S. Sed tu fidelis turba! quam Christi sacer
Erebo redemptam reddidit caelo cruor,
,, Exempla sequere nostra: Nec Regum minas
,, Irámque metue. Saeuit ad tempus furor
,, Mortalis, & nil corpus hoc vltrà appetit.
Non sic Tonantis odia: nec vita tenus,
Fragilique saeuit corpore: at scelerum reas
Perennis animas poena post obitum premit.
Damnata flamis hîc vbi exercet cohors
Supplicia, miseris nulla quae minuit dies.
His vos breuis, fugaxque carnificum manus

Certe aliquis illîc corde conceptas preces
Non lauus audit. Quàm benè impensus labor!
Quàm non inanis noster hic pro te fuit
Gemitus dolórque! V. Quid tibi hæc cõtra queã
Referre? Grates quas tibi infelix agam?
Tu mihi parentis instar: Imò adeò parens
Satore propior. S. Respice authorem tuæ
Christum salutis potiùs. Huic te te imputa,
Quem nemo frustra lapsus auxilio vocat.
Volente nemo periit. V. Agnosco libens,
At te secundũ hunc veneror: Hanc animã tuis
Debere meritis fateor: absque illis foret,
Adhuc iacerem. S. Robur ex illo cape
„ Animúmque casu. Disce quo lapsus modo,
„ Quanam ruina stratus, ac rebus pete
„ Documenta dubiis. Numinis virtus habet
„ Proprium hoc & ingens, vt bona ex ipsis trahat
„ Maiora damnis. Ille de pecorum grege
Isacia quondam ad sceptra translatus puer,
Vt adultus arsit veneris illicitæ face;
Post illa demum stupra, & infames toros,
Cædémque, & hosti proditum insontis caput,
Ardore quanto tactus ad sese redit!
Quid ille? Christus cui suas moriens vices
Commisit, orbis Rector, & cœli arbiter?
Quali ruina fractus, & famulæ metu
Quo tu iacebas scelere commisso, gradum.

Reuocante Christo retulit, & casu stetit
Firmatus illo? Cætera vt parcam eloqui
Operosa series cogit. Exemplo vtere:
Gemitúque Superos flecte. V. Quid gemitu?
Parum est:
Nisi & hoc rebelli spiritu, ac vita exuam
Senile corpus, iamque deuotum neci.
S. Magnum est & ista cupere: sed voto amplius
Potuisse. Nunc te ad facinus egregium para.

Chorus Christianorum.

QVIS *non cœlo terrisque Deum*
Te, Magni soboles Patris,
Nec magno inferior Patre,
Regnare credat? Cui nihil arduum
Qui cuncta imperio flectis, & intimo
Illapsu penetrans quô libitum est agis.
Tu nocte densâ scelerum implicatis
Attollis Phœbo splendidius iubar.
Tu lethi ab ipsis faucibus erutos
Vitæ reponis. Te miser auspice
Culpæ sordibus obsitus
Maculas dolenti
Pectore exhorrens, veniam meretur.
Ceu cum frigore
Condito terris placidus Fauoni
Mulcet agros tepor, passim solutæ

Per plana riuis diffugiunt niues.
Liquitur summis regelatus humor
Collibus manans.
Sic cum rigenti corda nocentium
Durata saxo Christus amabili
Afflauit aurâ;
Perfusi lacrymis ora rigantibus
Horrificam labem eluunt.
Sic Princeps populis iura fidelibus
Olim daturus, mox vt instanti
Cessit Puellæ;
Timidáque Numen prodidit linguâ;
Miserante Christo fletibus largos
Emisit imbres. Nec infamis
Leuiore noxas diluit luctu
Flens perditum Magdalis pudorem.
„ Quid non imo corde profusa
„ Possunt lacrymæ? Qui cuncta super
„ Eminet vnus; triplicis mundi
„ Latè imperio regna coërcens,
„ Cedit lacrymis. Sæpè rubentem
Armans trifidâ cuspide dextram:
Cum iam certos destinat ictus.
Siue in populos ira rebelles
Collecta furit: seu priuatum
Ruitura caput: simul ac scelerum
Conscia fontes pectora plangunt;
Veniámque humili voce precantur:

Reprimit ſeſe, lentáque diu
Criſpata manu tela recondit.
Quid non miſeros ſperare iubet
Vrbs Aſſyrio fundata Nino?
Quam fatidico ferale canens
Amathi proles terruit ore.
Hæc poſt decies quater exactos
Vertenda dies, expers Cereris
Laticíſque, Polo brachia tendens,
Tum ſquallentes puluere ſparſo
Fœdata comas; vilíque tegens
Corpora ſacco; ſæua minantis
Victrix Domini, fatíque, truces
Diſtulit iras, lacrymíſque alios
Iterum meruit ſtare per annos.
Quid lapſa moror ſæcula? Noſter
Nihilo priſcis memoranda minûs
Vſthazanes documenta tulit.
Quem peſtifera labe iacentem;
Tetróque animi funere merſum,
Pius ad ſuperos, vitámque dolor
Medio reuocans traxit ab Orco.
Age nunc animi, generoſe ſenex!
Chriſtique tenax, nimium pauidos
Compeſce metus; nec præteritæ
Reſoluta time vincula culpæ.
Quæ te ſubito turbine adactum
Placidi recreat cura Tenantis,

Magnísque parem reddidit ausis.
Hæc illa tuis noua sufficiet
,, Robora cœptis. Numinis aude
,, Sperare fidem. Qui nunc latice
Tua Palladio membra perungens
Mediâ pugilem sistit arena;
Alacres campo figere gressus,
Tandem & modico parta labore
Dabit haud modicæ præmia palmæ.



ACTVS QVINTVS.

Sapores Princeps Magorum.

QVID esse dicam, quod superbifico tumens:
Sacrilega fastu turba, suffixum hunc Cruci
Tam pernicaci mente Galilæum colit;
Huic seruit vni? Nec metu, aut certo necis
Terrore cedit? Alitur, & gliscit malis:
Suisque maius robur è damnis capit.
Non alia monstri fama, quod capitum ferax
Herculeus ægrè contudit flammis labor.
Sic missa magnos serpit in populos lues,
Vrbesque potior arte contactas domos.

Tabifica pestis haurit. Anne aliud rear,
Quod nulla sectam pœna grassantem premit,
Terrórque reuocat nullus? Et iustus tamen
Quodcunque in illos potuit, exprompsit dolor.
Quidquid ferox, immane, terrificum fuit,
Fractum irritúmque est omne. Nec blãda prece,
Crebrisue rabies victa pollicitis stetit.
Per dura pérque mollia indomitus furor
Tenore eodem constat, & flecti nequit.
Nec vtrumque in æquo statuit: in pretio mori est;
Pœnásque in omnes ruere, nec facili diem
Clausisse letho: quodque mirandum magis;
Vt quísque plura pertinax animi tulit,
Animámque lenta cæde luctantem expuit,
Hinc inuidetur. Cætera vt leuius querar
Ignota regi capita; Quid solo minor
Genitore fidus altor? hunc quanta mihi
Ægrè receptum mole, & obsequio datum
Recidiuus iterum rapuit in præceps furor?
P. Mira hæc, sed istis solita, quos Christi in fidẽ
Sacrilegus aris cultus à patriis rapit.
Paucis receptum hinc ad bonam mentem Deus
Indulsit; & referre permisit gradum.
Pars maior hæret, certa in exitium prius
Quodcunque ruere, iussa quam Regum exsequi.
Imo hæc Auernæ turba, si nescis, Stygis
Orcique famula est, Dæmonum interpres, Deos

Exosa superos, bella quos contra ciet.
Ergo irretortus, voce cum tacita iubent,
Stat luce media Phœbus, & pressos agens
Sistit iugales: nocte vel subita dies
Oppressa, stellis parte decedit suâ.
Iussere: fuluo lapsa de curru soror
Phœbea terras æthere ex alto petit:
Quâ molle rhombo stamen implicitum trahit.
Iussere: puro fulmen è cœlo cadit,
Nulláque adactum nube. Vidi egomet retro
Conuersa cantu flumina, & siccis dare
Calcanda pedibus arua, quæ nuper citis
Patuere ratibus. Iussa mox eadem suum
Ad gurgitem vnda rediit. Hic alius specum
Tellure rupta peruiam ad manes dedit.
Alius reuulsos penitus, atque ima erutos
Radice montes sede qua libitum est locat.
S. Quis ista credat? P. Vera qui dici sciat,
Non aure tantùm excepta, sed visu palam.
Hunc ipse, tua quem vincla damnatum tenent,
Simeona vidi sæpè cùm nudus pedes
Caputque, sparsis barbarum in morem comis,
Puraque cinctus veste, medicatos leui
Latices refundens rore, tum secum insonans
Nescio quid, auidâ pene consumptos lue
Curaret ægros. Reddita est cæcis dies;
Claudisque gressus. Cassa quinetiam æthere
Renocata vitæ corpora. Imo aliud viro

Iubente eodem, quodque vix habeat fidem,
Factum esse memini. Murmure exiguo, Deûm
Simulacra, nullo turbine, in terram graui
Cecidere lapsu; templaque operosâ diu
Constructa mole: vidi, & indolui malis
Licuisse tantum. S. Dignum ob hoc pœna reor
Grauiore, quàm non, vita si superest mihi,
Effugiet vnquã. P. Quin age: horrendũ magis
Atroxq. scelus est, fama quod celebrat vetus.
S. Quod illud, aueo scire. P. Secretos habent
Olli recessus, noctè quos tacita petunt.
Atque hûc remotis densa se arbitriis manus
Infundit: ætas omnis, ac sexus ruit.
Exin nefandus signa cùm Antistes dedit,
Subitòque sacris consciam extinxit facem,
Promiscua ardent venere, & illicitos toros
Rapiunt ferarum more: tum gnati parens,
Gnatus parentis temerè in amplexus furit.
Sa. Quid esse tantis sceleribus dignum potest?
Quæ par scelestis pœna? P. Parua hæc sunt
mala.
Sa. Quid grauius illis proloqui, aut peius potes?
P. Vbi functa ritu turba funesto diu est,
Rursum aliud vrgent facibus accensis nefas:
Correpta puerûm corpora in partes secant
Ante ora matrum. Deinc Thyesteas dapes
Rabidi capessunt. Quòdque nec mos est feris,
Suam et refundit viscera in sese parens.

Sa. Prò cælitum alme Rector! hæc oculis potes
Prospicere? non hos terra demersos vorat?
Non fracta cœli machina incumbens premit?
Non vastus haurit põtus? Atque etiam moror?
Et viuere vltra patior? vlcisci ratum est.
Sed iam euocentur: summa tentanda est mali
Medicina. Coràm siste moriturum gregem.

Sapores. Simeon. Miles.

NEC *longa vitæ spatia damnatos manent.*
Nec vana perdam alloquia. Quod petimus breue est,
Simplexque: Christum abnuere, quos Persæ approbant,
Adolere Diuis iubeo. Qui faxit secus,
Mors constituta est: luce nemo ista amplius
Hunc quem rebellis spernit aspiciet Deum.
Quippe haud ferendum est; cuius authorem abdices,
Vltra intueri lumen. Hæc contra libet
Audire paucis vestra quo se mens dabit.
Tu quem ornat ætas grauior, exemplo praei.
Parumque sanis pone consiliis modum.
S. Regi obsequendum est. Sa. Num fide hoc spondes bona?
S. Qua nulla melior. Sa. Vtinam id ex animo velis!

S. Æqua imperasti; facere quæ poscis, iuuat
Sa. Et his relicto thura Galilæo dabis?
S. At non iubebas ista. Sa. Quid demens canis?
Si. Præire sociis iussus, & sana exequi
Consilia m, orem proinde, ceu iussum est, geram.
Sa. Si nostra recipis Numina, & Christũ abiicis.
S. Cur hunc relegas? quidue commeritum mali?
Sa. Inuisa Diuis sacra celebrari veto.
S. Si Stygia Diuos monstra Tartareos vocas:
His displicere laudis immensæ est caput.
Sin fictus hominis hic tibi in speciem silex,
Truncusque Deus est, stipite excisus suo;
Odisse nec nos iste, nec Christum potest;
Qui se nec ipsum sentit. At lucis parens,
Qui certa cursu spatia dimenso regit,
Hoc nempe vestrum Solis exosum est iubar.
Cur me perenni lumine afflatum fouet?
Cur non opaca nocte subductos premit;
Conditque radios, & diem terris negat,
Cùm me vel istos cernit? Sa. Haud merito quidē
Tuo sceleste frueris. S. At quodnam est, scelus?
Quæ fare noxa est, cuius arcessis reos?
Sa. Minora taceo. Quid quòd arcana impiè
Magicas per artes sacra, & infantum neces
Patrare mos est? quæque vulgari pudor,
Mœrorque prohibet noster, hoc quicquid mali
Nox atra suadet. S. Vana, nec certa fide

Competa memoras. Quippe tam dictu hoc leue est,
„ Quam non reuinci facile. Si temerè licet
„ Iactare quiduis, soláque est dicti fides
„ Potuisse dici, nemo non fiet nocens.
„ Sa. Vulgata in omnes fama quod constans refert,
„ Credi necesse est. S. Pars quota hac orbis canit?
Quantóque vestra maior hanc sectam fouet?
Quacumque Phœbi lampas occidui videt
Qua medius axe torret æstiuo dies:
Quicquid Bootes frigore Arctoo premit,
Nostra illa regio est. Iura sub Christi Nomas
Vterque venit, quíque Mæotin tenens
Vagam ferino temperat victu famem.
Et qui minaci subiacet Cancro Libys.
His adice Eoo quicquid in tractu iacet,
Tua regna præter; totus authori suo
Famulatur orbis: hunc Deum, hunc Dominum canit:
Hunc lingua memorat omnis: hunc templis Deum
Non Graius, aut Romanus, aut si quis modo
Meliore ritu viuit. At sparsus Scythes,
Feróxque Alanus: quíque Phasiacas bibit
Hinc Colchus vndas; inde Caucasea sedet
Albanus exlex rupe, & Hyrcano mari

Quacumque propior Barbarûm tellus patet.
Hoc nemore pastor auio, & viridi sedens
Conualle nomen celebrat: hoc duro solum
Scindens arator vomere ingeminans vocat.
Sa. Impunè garris ista: nec quicquid malè
Consulta sequitur turba, si turpe est, amo.
S. Quin hoc quod omnes ista mortales probant
,, Obiecta purgat crimina. Improbitas diu
,, Passimq. nulla regnat: vtque homines breui
,, Mentita fallat, fronte dum blandâ tegit
,, Lethale virus, tempore arguitur suo
,, Deprensa tandem. Sola se virtus probat,
,, Firmátque sensim. Desine insontes probris
Vexare frustra, quaque nec visu eloqui
Comperta, nec rumore, nisi vano, potes.
S. Subducere oculis ista, & aspectu solent.
Si. Da sceleris huius conscium, aut facti indicem.
Quanquam hæc requiro? Da mihi afflatum horridi
Sceleris vel vmbra. Nil ego alienos moror;
Si nostra simulat aliquis, & sceleris sui
Transfundit in nos crimen: & plures scio
Sub hoc latere nomine, vt pecoris lupos
Sub pelle tectos. Nam quod arguimur stupri
Et execrandæ veneris: hînc quantum putas
Abesse, quorum exosa genialis faces

Princeps Magorum. Simeon. Pusices. Ananias. Chorus.

AVDITA *Domini iussa. Cui cordi est salus,*
Opibúsque patris Regis adiunctus fauor;
Cæsâ potentem victimâ Mithram colat.
Quid tardus heres? Quin te ad obsequiũ paras?
S. Occidere certum est potiùs, ac mortem pati:
Et si quid vltra est. Nec tamen facilem volo.
Consume pœnas antè: perque omnes mali
Discurre facies. Seu rapi in partes iubes
Diuisa ferro membra; seu flamis cremas:
Seu facibus vstos; siue distractos rota
Voluente torques; nulla confisos Deo
Torm̃cta quatient. P. Abripe infandum senem.
S. Sed tu fidelis turba! quam Christi sacer
Erebo redemptam reddidit cælo cruor,
,, Exempla sequere nostra: Nec Regum minas
,, Irámque metue. Sæuit ad tempus furor
,, Mortalis, & nil corpus hoc vltrâ appetit.
Non sic Tonantis odia: nec vita tenus,
Fragilíque sæuit corpore: at scelerum reas
Perennis animas pœna post obitum premit.
Damnata flamis hîc vbi exercet cohors
Supplicia, miseris nulla quæ minuit dies.
His vos breuis, fugaxque carnificum manus

Ferróque nunc inflictus eripiet dolor:
Et mors bonis optanda. Quid mortem loquor?
An potiùs arces tutum ad æthereas iter,
Pretiúmque Regni vile, quod votum supra
Magnificum, & ingens ille promissi memor
Cassis rependet, esse qui mortem nihil
Docuit ferendo? P. Pergis æternùm obloqui?
Hunc rapere cessas miles? aliquando premat
Linguam hanc procacem, mentis & vitio oblitam.
Tu fraude temerè inducta sacrilegi cohors
Simeonis, ecquid pœnam & exitium tibi
Arcessis vltrò? solus occumbat fine
Quæ cæde meruit: cuius ingentes Deos,
Solémque in ipsum siderum ac mundi decus,
Effrænis ardet animus. Hanc mentem exue,
Quod facile factu est: turis Eoi focos
Fragrante mica sparge. Quid tantum est meri
Fudisse laticem? Non ego vt Christum neges,
Fiásque iubeo noster. Vt specie tenus
Vtcúnque adores, moris admissi tenax;
Tuíque similis intus, effugium pares
Tibi cædis huius: inde securus domum
Ad prisca redeas. Cernis hostili in solo
Vt sæpè cultus aduena externos capit?
Et fraude iusta illudit, ac mortem cauet!

Aut nulla ritus culpa mentiti aut leuis:
Perfidia quam non suadet; at lethi timor,
Necessitásque, quam nec exorat Poli
Æternus ille Rector. An Christum times?
Dabit ille veniam facilè; si venia est opus,
Aut si ille Deus ille est. Quid truci aspectu siles?
Quid tu, senectus tarda quem effœtū grauat?
Subsiste trepidat, hæret. Vrgendum acriùs,
Hûc ferrum, & vngues; ferte flammatus faces.
Pergin'? quot artus corpore in toto geris,
Obeunda toties pœna. Pus. Quid demēs moror?
Ego hunc perire patior? Ah! satius mori est.
Quid sancte titubas senior, & mortem times?
Paulisper oculos comprime. En cœlum patet.
,, Breuis est mora discrimen, æterni decus
,, Instat triumphi. Quatnulum exhausto seni
,, Quod restat æui? Sed lucro ingenti breuis
,, Iactura vitæ cedit. Eia animum Polo
Fixus, caducæ lucis aspectu nega
Visura Christum lumina. Hic qui te dolor
Lethi imminentis tardat, experto leuis
,, Etiam iuuabit: Plura quo poßis pati
,, Maiore palmam decore conspicuus feres.
P. Hoc simile monstri est. Alius ex alio labor.
Crescit medendo virus. An Christum pari
Furore sequeris? Pus. Mentis est certè furor;

Sed ille cælo missus, & casto sacer
In pectore ardet. P. Sors tibi est eadem necis
Obeunda; si par criminis nexus ligat.
P. Ad hæc paratus venio; nec mortē abnuo.
Imo antecedo: iunge præeunti gradum.
Mecúmque vita functus ad superos veni.
Ana. Sequor, sequor, quemcumque me in casum trahis;
„ *Nihil moræ vltra est. Hæret in metis equus*
„ *Plerúmque cursu fractus, aut senio grauis.*
„ *Sed mox vt ictu verberum, aut vocis sono*
„ *Præsente stimulat rector: effusis ruit*
„ *Velox habenis. Sic tuo hortatu redit*
Vt lapsa nondum, mole sic subita æstuans
Et dubia virtus. Mors vbi, & ferrum, ac rota?
Vbi quas minaci voce iactabas faces?
Largire pariter cuncta. Materiam dabit
Tuo hoc furori corpus. Est vnde haurias:
Et æstuantem sanguine extinguas sitim.
P. Nimis Herculè ista stupeo. Quid cesso exequi
Iussa imperantis? Hunc neci addictum rape,
Quò iam antecessit agmen. Ad Regis domum
Trahendus alter. Iudicem hunc illi fero.
„ *Cho. Quam falsa vulgi fama. Quippe homini lupum*

„ Hominem esse iactant. Sed fidem euentus negat.
„ Deus alter hominum est alteri. Vt praesens manum
Iam iam ruenti subdit! vt penè obrutum
Erexit? Vdo sic ego abreptum sinu,
Aut crine vidi naufragum, atque haustis grauem
Emergere vndis. Ciuicam huic meritò dabit;
Mihi quam dedisset ille; ni facinus prior
Tantum occuparet. Quàm prope indicium fui!
Eadem parabam proloqui; & summis natans
Vox ista labris haesit. Inuideo tibi.
Sed me secundas agere nequicquam piget.
„ Nec sponte ad ista ruere consultum putant;
„ Dum nullus operae fructus. At votis opem
„ Praestare fas est. Supplicem ex alto Deus
Si me benignus audit, hunc, fortes viri!
Vobis fauentem, & dura moderantem precor
Supplicia. Laeto rore certantes tibi
Perfunde pugiles Christe! Quas pro te parant
Profundere animas, corporum exemptas iugo
Super alta caeli templa sublimes rape.

Datys nuncius. Chorus.

FELIX *alumno Rege, quàm nouâ minus,*
Tali piata morte, procubuit Senex.
Ch. Iámne ille cecidit? D. Si qua spectanti
fides.
Ch. Quâ fronte speciem mortis horrendæ tulit?
D. Qua sceptra opésque ferre mortales solent.
Ch. Quis ordo pœnæ est? D. Colle sub patulo
iacet
Porrecta ad amnem vallis. Hanc vasta ambiũt
Vtrinque rupes: media planities patet,
Diffusa Circi more. Quò vulgi frequens
Effusa muris turba visendi coiit
Accensa studio. Pars viri indignam queri
Miserata sortem. Fremere pars tantum ob sce-
lus
Quiduis mereri. Magna & in caussam cadit
Inuidia. Postquam plena productus subiit
Per spatia vinctus Senior; & firmo gradu
Intrepidus hæsit: vulgus attonitum stupet.
Mouet ille cunctos animus, & cani decor
Capitis: nec vllo mortis obductus metu
Frontis verendæ fulgor. Insolitus quoque
Ardere toto visus in vultu nitor.
Iam nemo gemitus cohibet: in lacrymas fluunt
Resoluta plebis ora. Stat rigidus Senex,
Lacrymis

Lacrymis, metúque maior. Hinc fixo genu
Suspensa cœlo lumina, & palmas diu
Vtrasque tenuit: donec exhaustâ prece,
Ceruice ferrum pronus immotâ tulit.
Et nunc feretro Regia impositum cohors
Truncum paternos corpus ad tumulos vehit.
Cho. Non *hæc lacrymis, non degeneri*
Vrgenda Senis funera luctu:
Quem non fragili corpore functum
Nox atra premit: nec Tartareos
Adiit manes: sed perpetuâ
Luce beandum super ætherias,
Turbâ Aligerûm comitante, caput
Extulit arces. Vbi cœlicolûm
Consors patriam prospicit vrbem:
Proprióque regit numine Persas.
Hîc nostra, Pater! vota secundas
Committe pij Regis in aures:
Et quæ petimus confecta refer.
Seu Christicolûm permissa sacris
Otia reddis. Seu nos parili
Nece perfunctos tecum optatis
Inseris Astris.



SEQVENTIS DRAMATIS Argumentum habes Iudicum capite IV.

PERSONÆ.

Michaël Archangelus.
Ieriel Chananæus.
Siſaras.
Barac.
Madian Chananæus.
Debora.
Iahel vxor Haberis Cinæi.
Nuncius.
Chorus Iudæorum.
Chorus Chananæorum.



SISARAS.

DRAMA III.

ACTVS PRIMVS.

Michaël Archangelus proloquitur.

PRÆPES *Tonātis famulus, Abramo satæ*
Custósque Michaël gentis, hûc celsa Poli
Submissus arce venio. Consuetus labor,
Leuare fessum grauibus ærumnis genus.
Per me ille quondam ductor, æthereo caput
Radiatus igni, pecora dum pascit, rubo
Candente missus, monstra terrifica extulit:
Phariósque decies clade geminatâ petens
Potente virgâ strauit. Ex illo sacer
Populus rubente sospes eductus freto,
Siccum per vndas medius impressit pedem.
Insolita Nereus horruit vestigia:

Frustráque tumidos spumeus voluens globos
In se repressus hæsit. Hinc per me impius
Aperta celeri maria dum peragrat rota,
Pauidósque sequitur hostis à tergo premens,
Præceps reductis fluctibus mersus periit.
Exin per ampla spatia, tractúsque inuios
Sollicitus egi, flammeam attollens facem,
Densáque rutilum nube subtexens diem:
Stabiléque pepigi fœdus, & gemino dedi
Incisa saxo iura, quâ celsis Arabs
Sublime collis nubibus iungit caput.
Micuere cœlo fulgura, & fremitu minax
Intonuit æther: stridulo emissus fragor
Terribilis ære, colle sacrato procul
Gressus profanos arcuit. Lustra hinc quater
Per gemina profugos, inter arentes plagas,
Non fruge Cereris, non laborata dape;
Nec opima tellus sponte quos fœtus parit;
Sed rore vesco; qualis herbosis riget
Pruina campis, paui, & exustis siti
Emicuit icto gelidus è saxo latex.
Post hæc, tot inter bella, tot cultu horridas
Animísque gentes; per tot errorum vices
Promissa quondam patribus in regna intuli.
Per me retortus amnis in sese vagas
Compressit vndas: rursus & vetera horruit
Prodigia: medio limes impressus vado est.
Quid reliqua memorẽ? Victa quàm latè patet

Chananæa tellus: fracta, superata omnia.
Hinc qua tepentes proximus sentit Notos
Indomitus Amalech, regna ad vsque fertili
Opposita Syriæ; quaque tot clade vrbium
Infame pelagus fluctibus salsis riget,
Allophylæ ad oras gentis; his sedem Tribus
Posuere bissex finibus; pulsi incolæ,
Viduata populis oppida; hinc sparsus tremor,
Quo bella poscebat. Quid? quod imperio Ducis
Defixus orbe Phœbus in medio stetit:
Et laxa cohibens fræna suspensis diu
Hæsit quadrigis? quinque dum campo sequens
Patente Reges victor Isacides quatit?
Sed ista quorsum? quid iuuat bello efferas
Domuisse gentes; sede promissa frui,
Si sic futurum est? sponte si patitur iugum
Nouoque toties premitur exitio genus
Tanti redemptum? Si leues metuit Deos:
Et falsa cultu numina incesto colit?
Pro cæca nimium corda! pro vecors furor!
Infida soboles! Siccine excidimus tibi?
Sic pacta temeras iura? Sic verum abnuis
Cœlo tremendum pariter & terris Deum?
Qui certa nutu sydera immoto regit?
Cui seruit orbis? cuius imperio vagos
Fluctus coërcent maria: stat nullo obyce

Immota Thetys, tumida conuoluens freta?
Huic muta præfers signa, quæ fuso artifex
Conflauit auro, silice vel scabra exprimens
Supplex tetendit, quâ modò effinxit, manum?
Queis lucis expers oculus, & patulas sonus
Nequicquam in aures funditur, nullo pedes
Gressu cientur, rigida nil palpat manus;
Clamórque nullus faucibus vastis meat?
I nunc, & alta cælitum sede aduoca
Agmen profanum. Veniat excitus Baal,
Pauidúmque referens turpis Astarthe pecus.
Cur vota cessant? Commodùm illuxit dies,
Optata quo se Numinis virtus probet.
An nulla inertes vota sollicitant Deos?
Satis hoc supérque rebus experti asperis
Quid vana poßint monstra? Cùm premeret
Syrus,
Lethíque post hunc stirpe cognatâ satus
Moabenus Eglon? Sed pius præstò fuit,
Dextráque miseros vindice eripuit Deus.
Cenens illum ductor; hunc ferrum manu
Vtraque stringens me duce oppressum dedit
Ieminæus Aod. Parta mox iterum salus.
Sexcena duro vomere Allophylum inclytus
Samgar peremit capita. Tum ne sic quidem
Edomita plebis corda. Gentiles Deos
Rursum, & nefanda sacra furibundi appetunt.
,, Nec inulta ferre scelere contempto diu.

„ Licuit Tonante. Sæuus apprimè statim
Chananæus vltor sequitur. Arentes comas
Bis adulta decies falce deposuit Ceres,
Totiésque fusâ Libanus immaduit niue:
Immanis ex quo victa Chananæi iugum
Isacia proles patitur, & iussa impio
Tributa Regi pendit. Ast ille æreâ
Armata falce plaustra concutiens, rapit,
Trahitque profugos. His super miseri gemunt,
Seróque tandem grauibus edocti malis,
Quod restat vnum, numen iratum prece
Lacrymisque placant: ille pactorum memor,
Dubiisque præstans quàm solet rebus fidem;
Mihi bella mandat. Lætus imperium exequor.
Parum est Tyranni colla seruitio trucis
Eripere. Victis maius hoc instat decus;
Hosti vt rependant paria; nec cedant prius,
Quam opima rege spolia prostrato ferant.
Dux his salutis femina; authorem vt probet.
Neque hoc peractum viribus credat suis
Hebræus. Adero: certa pugnantis regam
Tela, atque inertes fortibus cœptis manus
Armabo properè. Prima disiectas fuga
Lapidothis acies sternet: excipiet Ducem,
Somnóque pressum perimet Haberis Iahel
Generosa coniux. Agedum in exemplum para
Ingens opus, scissoque nil leuius mari.

CHORVS.

OCCIDIS *partis ſpoliata regnis*
Iſaci proles, vacuiſque mœrens
Vrbibus, ſexu miſeranda ſubdis
Colla Tyranno.
Occidis per te, Pharaone merſo,
Monſtra ſeruatus populus, Rubentis
Cuius ad nutum pelagi repreſſum
Conſtitit æquor.
Vidit impreſſo tremefacta Tethys
Calle, ſiccatas peditem per vndas
Currere, hînc atque hînc metuente iungi
Gurgite cinctum.
Inde flammatâ, per inhoſpitales,
Nube, deſerti ſitientis oras
Ductus, infeſtos retudit ſecundis
Viribus hoſtes.
Roſcidus vaſtis alimenta nimbus
Depluit campis; facilíſque captu
Spontè ſe vulgi dapibus miniſtrat
Lapſa coturnix.
Fonte deinc largo ſalientis hauſtum
Cominùs limphæ, laticéſque puros
Præbuit rupes iterum potenti
Cæſa flagello.

Horruit flammâ crepitante montis
Fumidus vertex; tonitruque mistus
Dispulit rauco lituus ferocem
Murmure turbam.
Iura cum saxo metuendus Ales
Duplici incîdens dedit, & quaternos
Peruigil Soles decies bicornis
Constitit Heros.
Quos dapis sueta, latteîsque totos
Immemor, sacris didicit regendis
Vtiles ritus, propiore gaudens
Numinis haustu.
Hoc duce armatas Arabum cateruas
Stirpis ingressum profugæ morantes
Non minax ferro, iaculîsve Moses
Fudit; at solâ prece; dum reducto
Colle prospectans acies, in altum
Hînc graues atque hînc subeunte palmas
Fratre tetendit.
Quin & incesto genitore natus
Concidit Moab: neque Vatis illum
Lingua conducti pretiosa letho
Soluit instanti; venerîsque diræ
Blanda fraus, iustis Procerum piata
Cædibus. Perrupta sub hæc Seonis
Regna: tum pingui Basanæa glebâ
Fertilis tellus. Iter hac peractum
Strage; fumantique solo ruinas

Vrbium, Chami genus, amnis vltra
Audiit ripas, populante siluas
Acriùs flammâ subeuntis. Eheu?
Quantus horrendæ miseris procellæ
Imminet turbo! Chananæa quanto
Diffluet tellus hominum cruore!
Arma nequicquam, nitidóque contrà
Ære florentes acuis cateruas.
Vasta nil moles iuuat: aut sub auras
Mœnium eductus labor; & patentes
Ampliùs fossæ: neque verberatum
Gurgite vndanti latus ingruentes
Arceat hostes.
Quippe promissas simul atque scisso
Amne, Iordanis tetigere ripas;
Protinùs celsas Ierichuntis arces
Arietis nullo, volucrìsque saxi
Turbine impactas litui canorus
Egit in terram fragor: & per orbem
Ferculo gaudens praeuntis Arcæ
Pompa septeno reuoluta gressu.
Hinc Palæstinas volitans per vrbes,
Fama grassantis trepidos ruinæ,
Miscuit Reges; facilésque vinci
Stirpis Abramo genitæ cruentis
Præbuit armis.
Nec tamen pugnâ, neque militari
Magna pars cessit superata ferro.

Quippe delectum genus ante, densa
Nube crabronum volitauit agmen;
Quod truci studore furens, acutâ
Cuspide hostiles cuneos abegit.
„ Quantulo vires hominum Tonantis
„ Corruunt nisu! Quid adacta totis
Tela bellanti potuêre neruis?
Quid Polo, ac terris, pelagóque in hostem
Robur effusum? Face quas ruinas
Ederet vindex trifida, aut hiantis
Pondere terræ?
Quondam & exertis validus lacertis
Perculit diris inimica monstris
Castra. Seu ruptis iaculata grando
Nubibus fœda quateret procella.
Siue anhelantes medio quadrigas
Sisteret Titan spatio, diemque
Longiûs iusto traheret, potenti
Voce suspensus. Noua regna tantis
Clara portentis adiit propago.
Sed ferox vltrà retinere Princeps
Haud sinit gentis Bahali sacratæ.
Proh nefas! tanti modò non redemptum
Concidit latè genus. Heu! quid istud
Profuit iactasse decus, suprema
Clade ruentes?



ACTVS II.

Ieriel Chananeus.

,, QVO non potentes imperi', ac decoris rapit
,, Flammatus ardor? Quot per arũnas breuis
,, Vsura sortis petitur! Alterius labor
,, Gradus est laboris. Triste & implicitum malum;
,, Grauiúsque seipso semper. Aduersi vices
,, Omitte fati: quæque in ambiguo sitas
,, Fortuna opes conuellit. Ad votum omnia
,, Cessisse fac, faciléſque pugnanti tibi
,, Fauere Superos. Nulla non partis tamen
,, Sunt imperiis, leuiora, per facinus, mala.
,, Sed quod paratis, quamlibet culpâ vacent,
,, Vnquam fruẽdis tempus, aut requies datur?
,, Secura lux est nulla; seu belli metus,
,, Seu bella crucient. Aliud ex alio subit
,, Maius periclum. Sæua Lernæi lacus
,, Rediisse dicas monstra. Quàm breuior via est,
,, Aut cupere nihil, aut nosse cupiendi modum?

Quid ante domitos aliud Isacidas Iabin,
Quàm vt liber esset, petiit? Hoc votis datum est.
Tributa desiit ferre; dominantem excutit
Chananæus. Hinc spes maior: ipsum liberi
Aggredimur hostem: Vincimus; turpem vicem
Referimus. Auxit gente bis sena suos
Sisaras triumphos. Sed neque hoc Regi sat est:
Inferre gestit arma: vicinas quatit
Violentus vrbes. Summa tum voti Moab,
Ammónque visus, Moabum, & Ammonem adiicit.
Neque hoc quidem contentus; ecce aliud parat;
Noua regna ferro quærit. Accedit ferax
Votis Idume. Pòst Philisthæum oppidis
Male quinque tectum inuadit. Hâc saltem tenus
Inuisa sistant bella. Sed grauior redit
Iudæus iterum; quæque perpessus diu est,
Imperia subitò renuit. Ah! metuo miser
Quo fata vergant; dubia quò sese explicet
Fortuna. Nec quod opibus, aut numero minor
In nos rebellat, hoc minus secùm trahit
,, Sors hæc timoris. Martis anceps alea est.
,, Nec semper iisdem infestus, aut iisdem fauens,
,, Alterna reddit damna. Vicère antea:
Posthac subacti. Bella nunc reparant statu

Claudenda forsan pristino: aut quidnam rear
Quod tam secundis rebus audacem Israël
Lacessit hostem, quámque nostro tempore,
Tam non suo, quod ante sustinuit, iugum
Abiicere properat? Non tot insignem ducem
Timuisse spolijs? Caussa tentandi subest:
Est aliquid. Haud se hic protulit temerè furor.
Nimis illa vereor Numina, Aegyptus prior
Quæ tremuit, & quæ sensit; ac nosmet diu
Pertulimus ipsi. Bella tractari vetem?
Hoc æquus ille capiat? Hoc miles noui
„ Cruoris auidus? Quippe districtus semel
„ Vix premitur ensis; fors vbi inceptis fauet:
„ Operæque pretium est. Hoccine vt Princeps ferat?
Nil in rebelles statuat? At lenta potest
Regnare dextra: Mitiùs gentem premat:
Parebit, & se sponte dominanti dabit.
Nunc ira, & hostis insolens victoria,
Tristísque egestas; quæque & imbelles ciet
Feras, abactæ prolis irritat dolor.
Sed temperanda hæc odia. Nunc Regem aggredi
Decreuit animus; nostra dum in tuto manent.
„ Nec me latet quàm tumidus, & sceptris ferox
„ Difficilè Princeps sana consilia audiat:
„ Quàm audita renuat. Ira vbi aduorsum trahit.

,, Mentem, aut cupido: quisquis ad nutum loqui
,, Didicit, secundis auribus tutò ingerit.
Sed me salutis cura, & obsequij fides:
Vel si monentē peruicax famulum haud probet;
Consulere patriæ cogit: At sæuus gradum
Rebúsque gestis alacer adproperat Sisar
Heberis hospes: quem Palæstinis grauem
Reuocans tuumsis, senior Isacis Iabin
Obijcere ducibus castra properantem iubet.

Sisaras. Ieriel.

ASTRIS *propinquum gradior attollens caput*
Toto ille notus orbe; par Superis Sisar;
Bello tremendus ductor, & quæ pars meos
Haud minima titulos ornat, inuictæ arbiter
Domitórque gentis, quam nec acer contudit
Pharao, nec hostes mille; non populis-frequens
Amalec; poténsve Moabus, aut pingues arans
Basanaus agros: non Amorrhæi aduenam
Fregere bella. Quin & oppressus Seon,
Ogúsque, & Enaci mole terrificum genus,
Hebræa sensit arma. Perrupta est freti
Adusque magni littus, & Syriæ plagas
Promissa regio. Nube ceurupta emicans

Peruadit ignis. Qualis aut fracto rapax
Per plana torrens obice præcipitans ruit.
Nunc ille Regum victor, & rerum potens
Mea iura populus, Marte perdomitus, tremit.
Mihi victus vni est; bisque iam capitis decem
Imposita pendit pretia. Nec sola fuit
Cum gente bellum: victus & genus Deus.
Cui scissa iactat maria; quo terras duce
Penetrasse ad istas fertur; hic nostris tamen
Impar trophæis cessit: & potior Bahal
Captiua subigit Numinis colla aduenæ.
Hoc hoc peregi, nulla quod longo dies
Extinguat æuo; nulla cui sese hactenus
Æquare Diuûm facta, nulla hominum queant.
Phlegræa quamuis bella, & excussos face
Trifida Gigantes memoret ætheræ potens
Dominator arcis: colle cum aggesto stetit
Animosa pubes, tela centena manu
Iaculata totidem. Pars quota est nostri Mimas,
Acerque Rhœtus decoris, aut Siculo specu
Clausus Typhœus? Nempe mortales Deo
Vicisse facile est; vicimus Superos genus
Mortale. Nec te Nebride accinctum latus,
Implicita molli iacula tractantem manu,
Imbelle Numen conferam: extremâ licet
Tellure victor regna subdideris nouo

Sub sole posita; decolor fuluum bibit
Quâ populus amnem. Quicquid opponas,
parum est
Victo Israëli. Nunc quòd in dominam ferunt
Nescio quid ausos struere, nec dociles regi,
Absente Sisara; summus anteactis labor
Iungatur. Hûc me Marte distractum extero
Transferre Princeps arma quamprimùm iubet:
Malisque fractos premere, quô vetera excidât,
Animosque præsens rapiat in sese dolor.
Proin de rebelli gente, dum ferrum calet,
Properanda pœna est. Miles ad nutum subit,
Mecum arma capere suetus, imperium sequi,
Tot vincere annos; victus aut nunquam,
aut duce
Deuictus alio. Signa vel contra Deos,
Ductore Sisara, iussus extemplò feret.
Nunc ille præda onustus hostiles greges
Post me catenâ victor impositâ rapit.
Populosque iactans viribus fractos suis,
Quos diues Arabum collis oppositos tegit,
Graditur triumphi more. Condixi locum
Vallem propinquâ, quâ rapax currit Cison.
Nihil moræ esse credo; nec quenquam fore
Sisaræ vt resistat: cuius exanimis metu
Nec stricta fixis tela luminibus feret;
Contra feroces pauidus, in pauidos ferox.
Semel aggredi armis, vincere est. Sed quid
struat

Hebraea soboles fare: cur tanto fuit
Reuocandus opere miles? Ie. Imperium palàm
Et pacta capitis pretia non vltrâ ferunt.
S. Quae spes nouis oblata consiliis mouet?
I. Nihil malis iam deesse, quod grauius luant.
S. Quid leuius antè fuerat? I. His saltem modum
Sperare fatis: longa quod minuit dies.
S. Milesne ad arma scriptus? an nondum coiit?
I. Et castra vallo cominùs iacto insidet:
Quâ celsum in auras culmen attollit Thabor.
Lectum omne gentis robur hac fortis tenet
Statione Debora. S. Digna degeneri Duce
Plebs seruituti nata. Vecordes Tribus
Vilis coërcet mulier. En qui se maris
Fraenasse iactant spatia: qui mundi iubar,
Ipsúmque medio sistere in cursu diem
Vulgò feruntur: rore deciduo ferax,
Quos nimbus aluit, nostra qui regna occupant.
Quorum arma vtrique proximus sensit freto.
Hos saga nutu femina imbelli regit.
Et iura populis reddit. En laudum seges
Immensa Sisara: mole vincendum ardua
Muliebre regnum restat. Ergo hostis pudet;

Quo turpe vinci est: vincere, aut nullum decus,
Aut Rege minus est. Vna victorem iuuet
Dira ruina gentis. I. Haud culpes ducem,
Si certa noris: maior humanâ indoles,
Cœlóque propior. Qualis aut Cynthi iugis,
Gelidíque ripas propter Eurotæ soror
Phœbea graditur. Illa sublatis grauem
Humeris pharetram gestat, & totâ Deas
Ceruice supra est; gente sic illa eminet
Potens in omni mulier. S. In promptu est fides.
,, Præstare quantus inter ignauos labor?
I. Haud ista tales regna sensere aduenas.
S. Hoc hoste metuam? I. Docuit Ægyptus tamen
Quàm sit timendus. S. Bis decem interea mihi
Famulatur annos. I. Pluribus Pharao premens
Obtinuit. Hinc Chusanus, & Moabi recens
Regnator Eglon. S. Fortis ex illo sciet
,, Quid inerte domino distet. Alieno sapit
,, Quisquis periclo, ne suo sapiat cauet.
S. Parum hinc pericli est: Bella fac ausos, diu
Qui, aut vnde tolerent? Rara populatas colit
Vrbes iuuentus: reliqua pars vacuis latet
Dispersa campis: saxáque, & syluas laris
Inops, cibíque complet: exusta est seges,
Et adusta flagrant arua. Ier. Quin vires dedit

Ipsum hoc; dabítque; quòd nihil genti est
super,
Cui metuat, aut cui parcat. S. At nondum
periit.
„ Et hoc furori restat. I. In miseros nimis
„ Qui sæuit, armat. S. Ne quid exinde in-
gruat,
Obstare facile est. Vasta disiectis dabo
Manibus, & antè quicquid intactum, eruam.
I. Sic nulla per tot præmia ærumnas petis?
S. Seruire discent. I. Nempe quos nullos
iubes
Esse, vt tui sint. S. Vacua, sublato aduenâ,
Regna obtinebit, diues exercens solum
Nostras colonus. I. Nilne te gentis mouet
Terribile numen? S. Cuius infregi minas,
Robúrque domui? I. Cuius infrænis manum
Niliaca monstris horruit tellus decem.
Cum iussa liquidis turpis emersit vadis,
Campósque texit rana: cùm infestus cynips,
Et auidus isto puluere exsiliit culex.
Cum strage fudit pecora, & infusus cinis
Horrenda sparsit vlcera: excepit vorax
Locusta. Quid vel stagna sanguineâ loquar
Infecta tabe? quásque vel posses manu
Palpare tenebras? Prole quid tandem domos
Seniore vacuas? Ille diductis fretum

Patefecit vndis: ille mersas fluctibus
Inuoluit acies, terga dum incautus premit
Pharao. Propinquos adspice: hîc veteris, Sisar,
Monimenta cernes cladis: hîc quantas furens
Exercet iras disce, quâ pugnat manu.
S. Inanis iste terror: hunc vecors sibi
Asciuit animus. Turpe dùm vinci æstimat,
Deum esse in hoste finxit. Et, verum vt putes,
Cessisse quantum est viribus Numen meis?
I. Ne crede victum: Cedere ad tempus solet,
Quo grauiùs olim infestet. S. Vlcisci genus
Rebelle timeam? Sceleris vt nullas sui
Pœnas Hebræus referat? Hoc quidnam amplius
Si victus essem paterer? I. Id ne sis vide.

Baracus. Sisaras.

MAGNANIME *Princeps, regna quem latè tremunt*
Chananæa; missi hûc stirpis Isaciæ duces
Non bella vt ante; iura vel victis truces
Metuenda ferimus. Pristinum inuidit decus
Fortuna: quicquid restat ex illa, vnicum
Miseris leuamen, vota portamus tibi,
Gemitusque. Sis. Sic vos Regis imperium mouet?
„*B. Quod facere nequeas qui imperat, fieri vetat.*

Ferri iubes tributa. Iussis obsequor.
Cedo vnde iubeas? Quâ peti parte imperas
Quod detur? Oppidisne? quæ vestris ruunt
Adusta flammis. Auidus exhaurit domos
Populator: & quod inde subtractum est, sibi
Periisse reputat. Nec satis properè genus
Concidere nostrum queritur. An frugum satu
Vitisque? queis non sæua prædonum manus
Abstinuit. Ardent culta. Vix natas cremat
Virente culmo torridus segetes vapor.
Succisa passim vitis, euulsæ arbores,
Suísque tellus strata seminibus vacat.
Vt abacta sileam pecora, deque ipso boues
Demptos aratro: magna pars cæso iacet
Cultore sterilis. Irritus quosdam labor
Deterret, hosti serere dum soli piget.
His capitis addas pretia? Si vitam exigis,
Præstare possum: quicquid hanc præter fuit,
Pridem abstulisti. Posce quod nondum tuum
est.
Quid sponte miseros ludis? S. Haud quicquam
libet
Mutare. Fas sit, an nefas fieri volo.
,, B. Violēta nunquā Imperia perpetuo vigent.
S. Sint vera saltem, donec etiamnum vigent.
,, B. Iniqua sæuus iussa qui cogit sequi,
,, Sæpe æqua victus patitur. S. Abscede ocyus:
Franósque recipe. Iussa ni peragis, feram

Haud verba contra. Perdam & æquabo solo
Vestri reliquias generis. B. Haud deerit suis
Regum ille domitor; cuius expauit manus
Ægyptus, vndis mersa diductis videns
Infesta profugis agmina; hoc freti auspice
Perstitimus. At te numinis tanti metus
,, Subeat. Inultum nullus hunc contrà tulit
,, Facinus. S. Nihil me vana perterret Dei
Imbellis ira; cuius infractum mea
Virtute robur cecidit. Hinc porrò exigam
Tellure adempta: quique iam vestris Bahal
Propè vnus aris colitur, in reliquum genus
Imperia penitus sparget. B. Auerso prius
Iordanis amne referet in geminos pedem
Fontes relapsus. Antè conceptos sinu
Fouebit ignes Tethys; infandum scelus
Quam mente capiam. Iura quàm cultu impio
Sacrata violem. Pro quibus patriam velim
Natos, parentes, coniugem, vitam dare.
S. At pars tuorum maior, hunc templis Deum
Ascripsit, hac tu solus è turba sapis?
,, B. Vesana plebes quolibet præceps ruit,
,, Facilísque flecti est, quam metus, spes, aut furor,
,, Aut imperantis nutus in partem rapit.
,, His me remittam? stulta seruilis sequar
Arbitria vulgi? stabo vel tota vnicus
De gente: vitam rapere ab inuito potes,

Auferre mentem non potes. Mecum adiice
Sentire quicquid Isaci è stirpe inclytum,
Supraque dubiæ sortis erectum vices
Pari ruinas pectore ingentes capit.
S. Tantósne victum spiritus numen facit?
B. Haud victus ille est, sponte qui vinci suos
Patitur. S. Quid illum gentis eductæ piget?
,, B. Præstanda fuerant scelera. S. Cur hoste vtitur?
,, B. Vt perdat hostem. S. Nemo quem perdit, beat.
,, B. Vt grauius olim caderet ex alto, extulit.
,, S. Tot perdit annos? B. Serus vlcisci solet,
,, Sed ira tempus pensat. S. Hunc quisquam colat
Hosti fauentem, quô suum perimat genus?
,, B. Tunc est timendus, cùm fauet sonti Deus.
S. Me potius, vt sic libeat vlcisci, oderit.
,, B. Exigua quantis lucra pensantur malis?
S. Si quem ille vestris posset ærumnis modum,
,, Pridem attulisset. B. Gratior miseris salus
,, Ægrè impetrata. S. Tristior votis diu
,, Frustra expetita. B. Post tot aduentu, Ducum
Superata nostro bella; post scissum mare,
Post regna tot perfracta, promissa genus
In sede positum, cassa præsidia obiicis?
S. Temerè ista vobis rumor affinxit vetus.

B. Nondum

B. Nondum liquet de authore? Chusanũ aspice:
Et amne duplici nobilem Syriæ sinum.
Vbi fortis Eglon? vel Philistæus graui
Mactus Anathi vomere. S. Addidimus satis
Aures loquenti: desine. Experiar Deus
Quid vester ille possit. B. Haud frustrâ scies.
S. At te, superbo nostra qui fastu minax
Vltrô lacessis odia, plebeium genus;
Dominumque terres, nullus exitio Deus
Locúsue rapiet. Tecta cultori suo
Iniecta mox communis absumet rogus.
,,B. Audere prõptũ est magna, difficile exequi.

Sisaras. Madian.

V*T quisque domitis parcit, & iusto modum*
Ponit furori lentus, & decori timens,
Hoc sua periclo sceptra grauiore implicat.
Perdenda prorsus dubia. Quod regno expedit,
Fas imperanti est. Iura priuatum caput
Legésque metuat. Lex sibi, & recti arbiter
Dominantis animus: quicquid huic placitum est, licet.
Hinc Diua solium, fama si vera est, Iouis
Astræa, & illinc cana circunstat Themis:
Vt iussa quo se cunque Rectoris dabunt,
Æquum hoc putetur. Fracta cum primùm iugum

Hebraea nostro Marte progenies tulit;
Perire decuit penitùs. Hinc nil iam sibi
Victor timeret. Sed neci oppressos dare
Tot immerentes piguit. Hoc illi, puto,
Timuere facinus. Regna cùm scisso fugax
Aliena pelago turba, pérque Arabum plagas,
Et inhospitalis spatia transmittit soli;
Cui tum pepercit? cuius abstinuit manus
Dirus cruore praedo? cui vitam dedit
Cum seruitute. Strage populatim domus
Arsere eâdem. Periit aetatis quoque
Discrimen his, sexúsque: seu sparsa oppidis
Inuoluit omnes flamma: seu captas volat
Strictus per aedes ensis, & teneram fodit
Cum matre sobolem. Nec sat exhaustum ma-
li est.
Obarata circum moenia, & iactu salis,
Moriente glebâ, marcet infelix ager.
Quae tam ferarum dira barbaries, priùs
Cultore caeso, bella cassósque impetus
Tellurem in ipsam vertit? Hoc gentis fuit
Iter; haec secundis rebus in sese dedit
Exempla. Cur non victa, quae vicit, modo
Rursum opprimatur? Cur quod huic in me
datum est,
Mihi in hanc negetur? iura quae docuit ferat.
Seruire contra placuit. Esto agedum, Duces
Saltem occidissent. Caetera, vt quondam, graui

Distenta plebes opere seruitium gemens
Perenne traheret: ne quid in dominos vacet
Moliri, opésque recipere antiquas paret.
Hos lenta moles teneat: hi strato aggere
Vastam imminenti flumini obijciant moram:
Aut dura fodiant marmora, aut terra eruant
Opes repostas. Mœnium hos ingens labor
Sparsos per vrbes diuidat. Tutum nefas,
Hoc si nefas est, exequi ex vsu imperi' est
Nam quis per omne tempus obsequia integra
„ Præstare gentis possit? Inuitos diu
„ Vnde audeant si subsit, haud facilè premas.
Ergo hæc rebelles peruicax motus ciens
Seruitia renuit. Nec suum in tempus ferox
Differtur animus: præcocem in nos impetum
Iamiam minax intentat. Et cœptum quidem
Porrò ausa facinus pergat. Hoc voti caput,
Extrema Regis odia vt in sese trahat:
Dare cuncta pessum vt iubeat. M. Hac rursum affero
Quod parte metuas. S. Quid? M. Quod incerta Deus
Ambage nectit. Quippe fatidicis Iouis
Vt iussus adytis supplicem admoui pedem,
Manifesta sortis signa ventura petens:
Vnâ & Sacerdos aderat: extemplô cauis
Vox illa latebris missa; meminisse horreo.

Bella acri Chananae paras cum gente. Cauenda est,
Sic iubeo, iam passa iugum, fortísque iuuenca.
Altera sed metuenda magis; quæ priua pererrans
Pascua, ab armento sese cum compare dudum
Segregat: has si tu vitaueris, auspice vinces
Hebræos Baale, & regnis potière petitis.
S. Quænam illa pestis gemina? Ni fallor, liquet
Ambigua quidnam fata venturum tegant.
S. Ecquid? M. Cauere comparem iussit bouem,
Quæ priua oberrans pascua, armento fugit
Passim relicto. S. Quas mihi insidias canis?
M. Heberis vxor nota Cinæi Iahel.
S. Quid deinde? M. Fortis mulier, & quiduis manu
Audere prompta, compari dudum comes,
Secreta gente, proximâ nobis lares
Statione posuit. S. Quid meam in noxam par ut?
M. Ab hac timendum fata nescio quid monent.
Lapidothis alia est. S. Conuenit sexus quidem,
Numerusque. Sed quod altera exitium dabit?
Ego inde quicquam verear? Est illa mihi
„ Cũ stirpe fœdus. M. Hoc mage insidiis locus,
„ Quo non timetur hostis. Ergo vllum putas
Cum gente fidei pignus, inimica, efferâ

Stabile esse Regi? Flamma se niuibus prius
Sociabit: ortus merget, occasus diem
Cœlo reponet. Antè Iordani Tagus
Miscebit vndas; pace quàm fidâ exteris
Iungatur audax populus. In præsens timor
Simulare, & opibus colere potiorem iubet.
Mox tempus vbi se dederit, & sceleri locus:
Concepta promet odia. Nil præ se Deos
Hominesque pensi (si palam tutum est) habet.
Animo vetusta repete: quot Reges neci,
Quot regna flammis dederit. Arsere oppida
Cum ciue pariter. Iunctus ætatis cruor
Vndauit omnis: donec exhaustas fugax
Populator vrbes stirpe compleuit vagâ.
Hæc pacis olim fœdera, has noster vices
Chananæus habuit. Disce quàm seruent fidem:
Et quàm merentur. S. Hactenus culpâ caret
Cinæus. I. At non, sors modo ad votum accidat,
,, Semper carebit. Prosperis rebus fides
,, Vtcunque perstat. S. Paululū euentum iuuat
,, Pugnæ opperiri. I. Quicquid extemplò potest
,, Impunè peragi, sæpe dilatum obfuit.

CHORVS.

,, HEV! *quàm difficile est posse suis modū*
,, *Votis ponere, nec plus licitis sequi,*
,, *Nec Diuis nimiùm credere prosperis:*

,, *Dum curuat tumidos aura fauens sinus!*
,, *Tunc quacunq; datum est, mobilis immemor*
,, *Fati, nec dubias mente agitans vices,*
,, *Expers consilij pracipitat furor.*
,, *Donec clàm tacitis greßibus insequens*
,, *Iniectâ Nemesis pessum adigat manu.*
Dum ventis pelagi strata silentibus
Rident marmora; seu molliter adstrepens
Crispatur placidis vnda Fauoniis:
Vidit sepositi littoribus procul
Cultor iugeris, & perpetuam ratus
Tranquillæ faciem Tethyos, impigrè
Mutauit patrios nauigio lares,
Ignotóque caput credidit æquori.
Verùm bis Superis térque fauentibus,
Neptuni relegens terga liquentia,
Postquam impunè ratem portubus appulit;
Mutati furias sensit inops maris,
Et longi pretium temporis abstulit.
Seu mersus mediis fluctibus occidit.
Seu rem naufragio perdidit & fidem.
,, *Sic quos continuis inuidiosior*
,, *Ad summum gradibus prouehit, & pares*
,, *Fortuna omnipotens Cœlitibus facit;*
,, *Cùm semper similem, semper amabilem*
,, *Sperant, vlteriùs tendere feruidi,*
,, *Alto præcipites culmine corruunt.*
Duros Isacidas Cœlicolum genus

Per tot sæua Ducum funera, sedibus
Eductum Phariis, tot freta naufragis
Quondam sparsa, tuo sat Chanaan fuit,
Spem votúmque supra, seruitio premi.
His maiora sequi mitte. Quid obrutos
Rursum Marte quatis? Perdere quid paras?
Ausuróśque cies? Numinis aduenæ
Nondum experta tibi dextera: quàm graui
Hostes concutiat mole, tegat suos?
Hoc freti profugos auspicio, lares
His fixêre locu. Nil validus Seon;
Nil prisca Aramidum stirpe satus Balac,
Hos contra potuit tendere: nil Basan;
Nec vasto Enacides terribilis statu.
Bissena hinc Populi per totidem Tribus
Partita est regio; finitimæ latus
Prætentum ad Syriæ: quáque fretum vrbibus
Clarum quinque manet; quas Superûm furor
Flammis, & pluuio sulphure perdidit.
Hac cum gente moues prælia, quæ Polo
Quæque vndis posuit iura furentibus?
Absiste. Heu! quid agis? Nullus in hos Ducum
Impunè arma tulit. Spontè necem oppetis:
Rebúsque prosperas exitium tuis.



ACTVS III.

Debora. Barac.

VOS imperata facite, & ignauos metus
,, Excutite: nihil authore trepidandum Deo est.
Ille aderit; & pro gente dilectâ, memor
,, Pugnabit vltrò. Bella quis pro se Deo
,, Pugnante metuat? Pignus haud dubiæ dabit
Salutis illa tot Ducum spoliis ouans
Fatalis Arca; quæque percusso leues
Expressit vndas silice, demerso potens
Pharaone virga. Pars erit laudum minor
Sublata generis vltima hac nostri lues.
Licet arma Sisaras contrà, & innumeras agat
In nos cohortes; quot sub Autumnum cadunt
Excussa siluis folia, vel denso fugam
Trans æquora vrgent agmine alituum greges,
Vbi prima gelidis incubat terris hiems.
Hoc nempe victos grauius exitium premet:
Maiórque sese Numinis prodet fauor;
Cui dubia parent fata, qui belli regit
Faciles habenas. Ille confisos sibi

Eripiet. Agedum segnis abscedat timor.
B. Abest, nec vllos te duce horrescam exitus.
,, D. Sed vetera cedant probra. Quæ scelere
est prius
,, Contracta pœna, scelere deposito cadet.
,, Facilis precanti venia; cui veniâ est opus,
,, Id si amputetur. Aspice infensus suis
Quoties pepercit. Stricta cum quateret manu
Vibrante tela, supplici euictus prece est.
,, Hâc ille vinci gaudet. In pœnam ruit
,, Inuitus, vltrò parcit. Irato Phinees
Extorsit arma. Vindicem gladium mouens
Vnus furori restitit. Quid cum igneâ
Fornace vitulus fusili in turpem Deum
Conflatus auro est, séque vesana ciens
Choreas nefandam populus in cladem induit?
Quàm facilè precibus cessit! An turbæ loquar
Sitientis aliâs murmur; aut volucres nouo
Quæstu expetitas? Vna vox Genti fuit
Quoties saluti? Nunc quoque, vt desit nefas,
Fuerit, supremi pacta si Regis valent.
Quacunque ritu dirus incesto Baal
Colitur; per omnes fana subuertant Tribus.
Ferro recîdant nemora. Nunc gentis iube
De more pauidum cedere ex acie genus.
Quicunque tectis nuper extructis venit,
Procul facessat. Vitæ si quisquam fata,
Claudit recentem, nec meti in vulgus sinit.

Quicunque thalamis miles vxorem nouis
Despondit; abeat; ne quis extincto, faces
Prior iugales tollat. Attonito metu
Ignauus hostem si quis armatum pauet,
Absistat illinc citius, & bello vacet.
Properate. Matrum turba me supplex manet:
Hac comite Superûm vota concipiam Patri,
Affusa Templo. B. Testis ille hominum sator:
Me nulla nisi te bella sociatâ manent.
Si pergis vnà rapior. Abscedis; sequor
Belli fugaque socius. D. Hoc precibus Barac
Tuis remitto. Nec tamen victoriâ
Potière solus. Laudis hunc titulum minor.
Praripiet hostis: quámque vix credas, dabit:
Finem huic labori mulier. Hac profugus Sisar
Dextra peribit. Video traiectum caput,
Humíque fixum. Tudite ferrato procul
Per vtraque clauus tempora impactus sonat.
Exanime corpus cerno. Iam totos cruor
Inundat artus. Macte. Sic Superis proba
Populóque dextram. Pudeat exempli viros:
Alacrésque pugnam inite. B. Pragestit manus.

Debora sola.

TV nunc secundo placidus hæc nutu rege
Pro te tuisque bella; quem colimus pij,
Cui sacra soli ferimus. Excutere imperas
Seruitia? iussa facimus. Ad bellum vocas?
Paremus. Adsis vnica oppressi salus
Populi, ac leuamen. Quanta circunstent vides
Nos vndique arma: quâ tuos acie petat
Chananæus. Illos laxa vix tellus capit.
Angustus omnis campus. Hic rigidâ citas
Armat quadrigas falce; præpetibus rotis
Equísque fretus. Ille Ithureum minax
Intendit arcum. Sæuit hic iaculo: teres
Huic funda: gladium pars, vel æratam quatit
Dexta bipennim. Nostra te solum aspicit
Spes, sancte genitor. Gente pro cara exere
Dignum Tonante robur. Hoc ?barium Ducem
Habes in hoste. Nil tibi fisso est opus
Pelago: minori stabit exemptus iugo
Populus: furori parce; nec tota arripe
Virtute bellum. Stridulus denso culex
Tibi militabit agmine, aut turpi loquax
Educta limo rana. Quid tela explices?
Cessent licet: Strepentis ad sonitum tubæ
Concussa sponte mœnia in sese ruent.
His efferatam barbari in famulos Ducis

O vj

Compesce rabiem. Caussa nobiscum tibi
Communis illa est. Muneris vindex ades
Tui ipse. Regnis pellimur per te datis,
Per te occupatis. Pateris? & victor Baal,
Victum feretur Isaci numen? Sines
Inultus ista? Surge. Nunc toto Deus
Clarescat orbe. Clade condiscant sua
Quantum Israëlis Baale sit potior Deus.

Iahel. Debora.

SACRATA *Diuis mulier, interpres poli*
Fatique vates conscia; ecquam perditis
Portas salutem? Votáne aspexit Deus?
An temerè in auras sparsa precipites eunt?
D. *Respexit: & vos, certa si Superis fides,*
Regno impotenti soluet. In cursu est salus.
Fatale tempus instat. Hæc nobis dies
Chananæa rumpet vincla. Delectas Tribus
Per me secundo Numine excitus Barac
Ad bella cogit: quæque Nephtalios arat
Cognata campos, quæque Zabulonem colit.
Bis quina secum millia hûc tacitus rapit:
Quà culta tereti plana despectat iugo
Galilæus illinc collis, hinc rapido cadens
Abrupta cursu saxa deuoluit Cison.
Sed ante Sisaræ missus Orator prece
Tentauit animum: iura famulatus grauis

Et acerba gentis fata captiuæ querens.
At ille, cautes qualis in medio riget
Immota pelago, pulsa vel quercus leues
Perfringit auras, robore immenso tumens,
Nihil remittit; bella quin ipsum ferox
Contra Tonantem, tumidus imperio, gerit.
Væsana rabie corda, sic vindex Deus
Durauit idem, cæca qui Phariȷ prius
Armauit odia regis, & flecti dedit
Indocile pectus. Ia. Perge non æquum tuo
Placare populo numen. D. Haud vanus labor,
,,Si patria repetat iura. Mutatis dabit
,,Meliora, qui nunc opprimit sontes Deus.
Nec tarda voti spatia. Prostratum dies
Hæc ipsa Sisaram debet, ac letho datum.
Nos bella & hostis; te decus belli manet.
Ia. Egone hoc capessam? D. Dubia cur titubat fides?
Nondũ Tonãtis creditur? Ia. Posse hunc puto.
D. Ne velle dubita. I. Petere si fas est piis;
Responsa, Vates, pande quæ memoret Deus.
D. Hinc procul referat pedem quisquis profanus, & impio
Execranda sacra cultu colit, & infames Deos
Vos, quibus dixisse fas est iussa summi Numinis,
Mentibus reponite imis: magna res agitur mihi.
Vt sacrato limini ardẽs supplicem gressũ intuli,

Vota peragens gentis, & opem cœlitum ritè aduocans:
Ter solo profusa mœstum deprimo ante aras caput,
Flebili voce ingemens. pactique nobiscum fidē
Fœderis testor. Repētè cōcita intremuit domus.
Horrido concussa tellus ter fragore perstrepit.
Frigidus per ima currens ossa peruasit tremor.
Tum sacris mugitus ex adytis truci sonitu emicat.
Ante me subinde supera sede lapsus Aliger
Aureas quatiens volatu præpeti alas constitit,
Ore purpureo nitens: qualis corusca flammeus
Nube tractus dissilit, celerique percurrit face.
Maior exin homine mox aures meas pepulit sonus.

Pone modū precibus, raptásque ad bella cohortes
Instrue; sic Deus ipse iubet. Tibi muneris huius
Mox cape Nephtalia comitē de stirpe Baracū.
Ille aderit, qui me cœli submisit ab axe
Omnipotens genitor, Chananaáque vincla resoluet.
Ille acies contra, atque hostilia castra suorum
Pugnabit pro gēte, animū, virésque ministrās;
Falcatósque ruet currus; dux fœmina tantis
Rebus erit, cœptísque dabit tamen altera finem.

Hæc ille: placidis inde subuectus Polo
Diffugit alis, ocyor ventis, leui

Somnóque similis. Dux ego his cœptis minor:
Tibi summa rerum parta. Quod Superi probāt
Inuade mulier. Plura scrutari nefas.
Et ipsa, qua tu parte desperes, iter
Fata explicabūt. Ia. Cōmodo obsequiis manus:
Vitámque, & ipsa si quid est vitâ amplius.
Praei: capessam reliqua, & authorem sequar.

CHORVS.

HOMINVM NE *fata volui*
Nutu rear Tonantis?
An cæca vis rotatum,
Moderante fræna nullo,
Sus déque versat orbem?
Hic ille mentis æstus
Animis frequens recursat:
Dum te pio dolemus
Gens Israële creta,
Opis auxilíque egentem
Tot iam opprimi per annos,
Tot cladibúsque frangi:
Frustrâ Deum videntes
Proauos, Deíque amicos
Præ te Duces ferentem.
Vbi pacta tot stupendis
Olim probata monstris,
Vbi cælitum potenti

Cum Rege fœdus ictum?
Promissa quid secundis
Iuuat attigisse regna
Superis? Quid execranda,
Paßim vagante ferro,
Viduasse gentis vrbes;
Si sic trahenda præceps
Stirps Abramæa quondam
Fueras, iugóque victi
Victrix premenda Regis?
Laribus procul paternis
Proles abacta mœret:
Ipsásque dirus vnà
Vacuat domos satelles.
Squallet relicta tellus;
Cererísque fruge nusquam,
Nusquam satu Lyæi
Inopes alit colonos.
Quacunque culta agrestis
Pubes opima vertit:
Mox falce crebra adultas
Segetes metunt quadrigæ.
Aut sparsus vndique ignis
Rapidis adhuc virentes
Flammis perurit herbas.
Sterilésque nudat agros.
Has inter occidentis
Populi graues ruinas,

Ecquem suos amare;
Quod prouidere Numen
Rebus putes caducis?
,, Imò hæc acerba fatu
,, Mala, præsidémque terris,
,, Memorémque adesse pacti
,, Summum probant Parentem:
,, Qui non inulta caræ
,, Delicta Gentis æquus
,, Patitur, leuique sontes
,, Proprios, parentis instar,
,, Monet increpans flagello.
,, Mox deprecante pœnam
,, Culpæ reo, ferire
,, Lentas manus coërcet:
,, At quos seuerus odit;
,, Hos pertinacis iræ
,, Laxis ruens habenis
,, Violentus haurit ardor.
,, Proin quicquid acta retrò:
,, Ventura quicquid ætas
,, Tulit asperum, ferétque;
,, Non tu Deo, malísve
,, Potes imputare fatis.
,, Sceleri hæc statuta merces:
Hûc hûc satus nefandi
Seges excitata creuit.
Dum cœlitum profanos

Templis greges adoptas,
Et mille fœda monstris
Simulacra, ceu propinquæ
Contacta labis haustu,
Spreto colis Tonante.
Agedum tuis, quod instat,
Pœnis Hebræa proles,
Docili iugum subire
Collo subacta disce.
„Tunc esse qui fluentis
„Mundi leues habenas
„Nutu arbitrante torquet;
„Meritísque digna lance
„Neutram in partem recliui,
„Serò licet, rependit;
„Documenta quæ relapsis
„In peius antè rebus
„Dederas, dabis secundis.



ACTVS IV.

Heber Cinæus. Iahel vxor.


I tempus vnquam triste, luctificum, asperum,
Nostráque dignum gente, dignum odio fuit
Læsi Tonantis: si qua pertæsum dies
Vitæ prius conspexit, & cupidum mori;
Hæc ipsa demum illuxit. O Diuum potens
Hominúmque! quid nunc lentus, & nostri immemor
Barbarica pateris sceptra captiuas Tribus,
Atróxque domini ferre peregrini iugum?
Meruimus ista; fateor: haud temerè tuus
In nos furor deseuit, & noxa pares
Pœnas reposcit. Sed quid hoc ipso Deus
Ab hoste meruit? Qualibet per te exige
Supplicia: cur te hic spernat, & vinci exprobret,
Tumidáque inanes voce commendet Deos?
Hoc scelere nostro leuius? Hûc iacula: hûc minas
Conuerte potiùs, quà tuum nullus vocat
Celebrátque nomen. Pereat infelix Baal,

Baalisque cultor; gente dilecta abstine.
Te per Taraei nomen obtestor patris;
Charosque manes Isaci, & prole inclytum
Pulchra Israëlem, perque legiferum Ducem,
Pacti memento veteris. En lecta satus
De stirpe populus, gemina, quod dictu est nefas,
Bis lustra seruit. Vndique infestus solum
Populatur hostis: Aret incultus siti,
Heu! lacte quondam & melle distillans ager:
Sterilesque campos nulla conuestit seges.
Nec laeta fructus arbor, aut viridi fouet
Aprica colle vitis. Hic oleas metit
Adhuc virentes. Ille crudas amputans
Destringit vuas: quaeque praedantes piget
Auehere, latè squallidus torret vapor.
Opima soli terra cultori vacat.
Quid quod Parentum rapta complexu, ac sinu
Captiua proles trahitur, & Regis domum
Famularis implet turba? Quàm nunquam fuit
Peperisse melius! Gentis oppressae Parens;
Nobis verendum Numen, ignotum exteris;
Si spes relicta est nulla; nec rebus datur
Miseris recursus, pereat extinctum semel
Quodcumque superest. Vindice flammaintona.
Imo adice si quid cladibus tantis potes.
Nam quid potes? Mortémne? Quis mortem abnuat,
„ *Si sic trahenda est vita. Degeneres viros*

„ *Seruire pretio lucis indultæ iuuet.*
„ *Mihi turpe luce est grauius ereptâ iugum.*
Ia. Vnanime coniux: desine imbelli Deum
„ *Onerare luctu. Pressius fortes decet*
„ *Obniti, & vndæ ferre violentæ impetum.*
„ *Aduersa virtus robore indomito capit.*
„ *Haud est virile, dura si tollas, gradu*
„ *Perstare firmo. Placida cum nulli freta*
„ *Venti lacessunt; nullus ex imo minax*
„ *Permiscet æstus; puppe quid portum integrâ*
„ *Tenuisse mirum est? Artis hoc specimen, graues*
„ *Superare fluctus posse; nec vinci malis.*
H. Haud ista pro me bella metuentem dolor
Priuatus angit. Cernere incolumi licet
Patriam cadentem. Fœdere hoc mecum manus
Chananæa iunxit; nostra vt in tuto domus,
Et sortis extra danas communis foret.
Te magne testor generis Hebræi parens;
Non me vlla Populi fata, non sæuas vices
Fugisse Patriæ. Nullus ignauum timor
Ad hæc subegit iura: sed gentis salus
Pietasque, dura sorte perculsis opem
Clam Rege volui ferre. Nec me consili
Hucusque pigitum est. Supplices quoties lare
Protegere fido licuit; insontes Iabin
Quoscunque sæuus pressit? Innumeris fugam

„ Quiduis priùs consuesce, quã Regi obsequens
„ In patria pecces iura: seu mortem inferat,
„ Obeunda mors est: seu fugam intentet, fuge
„ Ad vsq; pelagi extrema. Tecũ adeô comes
Aut moriar, aut extorris hinc quouis ferar.
„ H. O casta thalami socia! Macte animo: decet
„ Sic ire fata contra, & intrepidum malis
„ Firmare pectus. Mitte quam pro me geris
Sollicita curam. Nostra, quemcumque exitum
Fortuna dederit, stabilis, & nullo fides
Lapsura casu, rumpet obstantes minas.
Facilis mei iactura; nec tanti est seni
Patriæ ruinas inter, & stragem inclytæ
Reptare gentis. I. Sic decet fortes loqui.
H. Sic facere. I. Nunc te coniugem agnosco meũ.
H. Quiduis cruentus statuat; excipiam metu
„ Vacuus. I. Breue est certamen: æternũ decus
„ Cœlo repostum. H. Siue per latera exigit
Ferrum Tyrannus: siue per partes rapi
Membra, aut cremari iubeat, æquo animo ferã.
Ia. Hæc quanquam habere sic decet: prona est tamen
In melius, & secura nescio quid spei
Mens agitat. H. Vtinam fallat hic qui animum timor
Sperare populi funus extremum iubet.
„ Ia. Quod quisque metuit, posse vix tolli putat.
„ N. Imo hec futurũ, quod cupit, nimiũ putat.

Qua spe salutem præcipis? Iab. Quam tum Israël
Habuit, per undas calle cum sicco pedes
Traiecit: aut cum squallidas Arabum plagas
Permensus ista ferus in regna appulit.
H. An tum pepercit? pars quota incolumis fuit?
Ia. Nec penitus iræ indulsit; & quantum sat est
,, *Demum reliquit? Premere quos odit solet*
,, *Penitus, suisque parcere. H. Ignescat precor;*
Scelerique tandem faciat, & pœnis modum.

Iahel sola.

FACIET. *Superbo Rege defunctos breui,*
Vt sera, sic non dubia respiciet salus.
,, *Pius ille, vel dum sæuit, & memores sui*
,, *Exercet iras. Culpa sanctorum graues*
,, *Dedit aliqua pœnas; nulla perpetuas dedit.*
Sic densa postquam nubila effuso diu
Arcturus imbre soluit, aut ponto iubar
Mersura Pleias; fœderis vindex Polum
Serenat arcus. Sic vbi hibernis furens
Incubuit vndis Auster, & vastos tulit
Ad Astra fluctus, sideris gemini face
Compressa ponunt maria. Sic gelidas tepor
,, *Vernus pruinas claudit. Hac vitæ Deus*
,, *Arbitria lege sancit. In partem nihil*

Vtramque

„ Vtramque stabile est. Abiit. Haud equidem tibi
Porrô indicaui cætera. In dubio est fides,
Quô fata vergant. Magna molitur Deus.
Vel quanta nobis ore non falso canit,
Monstrante cælo, Debora! Quæ per nos breui
Præstanda memorat! Maius est victo tamen
Sisara. Quid hoste maius est victo? Piget
Quod illa in aures tacita commisit loqui,
Quod quærere vltrâ vetuit. At si quid meâ
Habes in arte præsidi, hæc quisquis regis
Ventura Superûm: te duce en casus adest
Parata in omnes famula. Quem nostris fore
Hæc inter armis exitum, ac votis putem?
Commissa dudum prælia, & toto reor
Feruere campo. Gestit euentum impotens
Præuertere animus. Quis per æthereas modò
Violentus auras turbo correptam vehat?
Aut quis citatis præpetem pennis rapi
In media dederit castra? Pars vtinam feror
Vt esse decoris aliqua; sic Martis forem!

CHORVS.

„ CONTRA Superos impia quisquis
„ Audax animis bella capessit;

,, *Tandem esse Deum sentit, & acri*
,, *Congesta luit crimina pœna.*
Rupit tumidi claustra profundi,
Rapidásque solo miscuit vndas
Iussa rebelles latè effuso
Vastare freto cærula Thetys.
Tunc sepositi fœdera Mundi
Confusa ruunt. Altior hausit
Montana rapax culmina pontus:
Summóque ferit sidera fluctu.
Subiecta graues silua carinas
Lentis tenuit pressa flagellis.
Stringit rigidas palmula quercus;
Rostrísque secant nubila puppes.
Quid cum ætheria mole sub auras
Educta Babel stetit, Astrifero
Propiora Polo culmina tollens?
Malè concordi fœdere iunctos
Mista artifices lingua repressit.
Hinc fulminea face, crebróque
Disiecta ruit flamine turris.
Quid Niliaci castra Tyranni
Rubro memorem subuersa freto?
Parúmne dedit specimen fortis
,, *Lux illa Dei? quantóve premat*
,, *Tumidos hominum robore fastus?*
Heu! quot populi cladibus illinc
Extorta fuga est! Quot monstra tulit

Gens Isiaco sacra iuuenco!
Mox vbi densa nube profusus
Leuiora culex bella peregit.
Aut vbi ranas, latisque graues
Extulit aruis virga locustas.
Cum nec medio nox spissa die;
Nec sanguinea tabe fluentes,
Et mortiferi piscibus amnes:
Nec quæ tenues fusus in auras
Horrenda cinis vulnera sparsit,
Rigidum possent flectere pectus.
Tunc laxatus grauiora furor
Impulit arma.
Dirâ Pharias strage per ædes
Bacchata trucis manus Aligeri,
Quæ prima patres fecerat ætas,
Stricto hanc penitùs messuit ense.
His tu, Pharao, perfide pœnis
Saperes tandem, contráque Deum
Tendere iniquo Marte timeres!
Furit ille, furit; rapidísque minax
Fugitiua rotis terga fatigat.
Sed dum insolito tramite præceps
Diuisa ruit per freta; dúmque
Pelago fruitur non sibi aperto;
Rubris periit mersus in vndis.
His te simili, Chananæa furens,
Contracta manent præmia noxa.



ACTVS QVINTVS.

Nuncius. Iahel.



AIORA votis affero. Oppressus Sisar:
Castris potitur noster, & toto fugax
Campo vagatur hostis. Insequitur furens,
Fœdâque victor strage desæuit Barac.
Pro se ille vindex generis Hebræi adfuit,
Egitque pauidos fulmine horrifico minax.
I. *Quis ede Sisaram casus in praeceps dedit.*
N. *Vt vtrinque castris gemina collatis stetit*
Acies, & omnem milite impleuit locum;
Falcata primùm plaustra Chananaeus locat
In fronte Sisara: grauior in media pedes
Instructus acie: terga veteranus premit.
Hinc bina & inde cornua equitatus tenet.
At noster illînc rarius laxis agit
Ordinibus agmen, per quod effusa impetu
Innocua ruerent plaustra: firmatur leui
Latus equite vtrunque: dextra Nephtalius Barac,
Media coërcet Debora. Sic toto ruit
Campo iuuentus: vndique arrectis seges

Horrescit hastis, æraque aduerso micant
Percussa sole: mixtus exoritur fragor.
Ceu nube densâ gurgite ex alto strepunt
Raucæ volucres. Inde vbi pugnæ dedit
Inflata signum buccina, hostilem Sisar
Ærata frontem plaustra præcipitans quatit:
Feruet citatus axis, & geminum metens
Vtrinque falce carpit obliqua latus;
Aperitque vastum limitem. Hucilluc fuga
Præceps Hebræus ruere, turbatis eques
Instare Sisaræ. Iamque nudatus pedes.
Iam terga dederat ala. Cùm tristes manus
Ad astra tollens Debora, gentilem Deum
Inclamat; &, quò fugitis imbelles? ait:
Qua spe latebras petitis? Obuersi acriùs
Martem lacessunt. Ipsa per medios volans
Furibunda cuneos vrget, hortatur, salit
Audax virago: móxque præferri imperat
Fatale gentis ferculum, rauco tubas
Perstrepere cantu. Constitit visa procul
Chananæus Arca, séque lymphato induit
In amica cursu tela. Pars verso suos
Mucrone feriens cæde cognata furit.
Hic missa ab hoste spicula expirans trahit,
Iugulóque socio condit. Hic ferrum exigens
Alterius ense fixus à tergo ruit.
Super hæc fragore piceus horrendo tonat,
Ruptísque crebro facibus ardescit Polus.

Quas densa grando sequitur, haud qualis solo
Illisa vulgo crepitat: excussos putes
Volitare silices, funda quos torto rotat
Ibera fune. Strage quadrupedes iacent
Equitésque eâdem. Tot simul domitos malis
Nephtalius vrget ductor; & latè effera
Bacchatur ardens cæde. Dat terga licet
Sisara, leuíque feruidus saltu rotis
Excutitur. Ego vix, nuncium hunc vobis ferens,
Per strata celerem corpora explicui gradum.

IAHEL.

AT at. Timoris magna pars nostri excidit.
Confecta demùm bella, deuictum ferunt
Dare terga Sisaram. Vicimus: tandem Deum
Chananæus esse didicit. Haud cuncta Israël
Mentitur. Agedum vtrinque diuulsum mare,
Alimenta cœlo sparsa, fatalis neget
Prodigia virgæ. Nunc suos iactet Deos.
Habet. Tonantis ira quid possit, sacri
Quid cura populi sensit. At nondum reor
Perfunctus illis grauius ærumnis luet.
Nondum omnis abiit pœna: deest aliquid malis,
Quid esse nostrum fata testantur decus.

Nisi falsa memorat Debora. Sed pars hactenus
Probata veri; victus est bello Sisar:
Addenda porro reliqua. Præsagit mihi
Nescio quid animus grande: nec quid sit scio;
Nisi quod peractis maius esse aliquid scio.
Vidi egomet atrâ nocte, cùm lentus graues
Preßisset oculos somnus, attonitum Ducem.
Trepidúmque ad istos fugere semermem lares,
Opémque frustra petere: quem stricto aggredi
Mihi visa ferro. Moxque correptum caput
Hac abscidisse dextera. Hunc credam exitum
Seruasse Superos, perque tot signa eloqui?
An ille qua non pudeat oppetiit manu?
An victus acie fugit? At fugiat. Cedo.
Quid tum? Necare *hunc poteris? huic dextram inferas?*
Suspensus hæret animus, & gestit tamen.
Et facinus ingens pectore incenso capit.
Perii: quis iste concito huc cursu volat?
Sisarasne? Is ipse est: tecta properatò petam.

Sisaras. Iahel.

MEN' *sequitur aliquis? Occidi: hic quisnam venit?*
Nemo est. Quis aures hinc meas pepulit sonus?

An potius illinc? Quo ferar? quánam accubem
In parte fessus? Tutáne hæc sperem mihi
Perfugia? Certè hîc fœdere obstrictus manet
Cinæus Heber. Fracta tantisper iuuat
Leuare membra. Nunquis hinc prodit foras?
Quis æde in ista est? I. Quis meas pulsat fores?
Hem! túne Princeps? S. Ægra præcipiti labant
Defessa cursu genua. Sed si quid domi est
Laticis, propina. Torret exhausto sitis
Humore pectus, ora nec voci patent:
Mihi lympha nectar fuerit: hanc per te dari
Animam fatebor. Iah. Tecta vix tantum licet
Augusta capiant hospitem; hîc lassus tamen
Paulum acquiesce. S. Grande fors pretium moræ est.
Hoc insidebo limen, & partes feram
Oculos in omnes, ne quis inopinum premat.
Tu perge. I. Propero. S. Quidnam opus facto rear?
Tectísne maneam? Forsan insidias struat:
Intróque Hebræos reuocet. Excurram via
Quod restat? Ægrè languidos gressus traho,
Belli viæque fessus. Insolitus labor,
Et Cereris vrget auida ieiunum fames.
I. Sinum recentis interim hunc lactis cape,
Agreste munus. S. Suauior nullus sitim

Restinxit vnquam potus. Vtcunque aureis
Odora pateris vina, vel gemmis puer
Blandus ministrat; fructus in luxu est minor.
Sed si quis inter pascua aut stabulis equus,
Insterne. I. Quô tam subitus? I nostris age
Succede tectis. S. Victor hûc hostis breui
Aderit. I. Pauere absiste: præstabo tibi
Quicquid pericli est. Nullus inuitâ lares
Nostros adibit: ne quis incautâ, vigil
His excubabo foribus. S. Euincis. Sequor.
Quid hocce? gressus hæret: incessu labat
Pes dubius: Omen vereor. I. Insuetum grauant
Decursa pedibus spatia. Tantillum afferet
Vires quietis. Sedulô interea fores
Seruate famuli. S. Muneris tuis id cape.
Sisaramque si quis quærat, hâc passis modô
Fugisse manibus finge. I. Securum dabo.

Iahel, Chorus.

SI quæris anime facere quid rerum decet;
Obsequere Superis! Ecquid in medios feram
Dedisse laqueos cernis? En tantis datus,
Tantis petitus precibus aduenit dies.
Patiere segnem? Non tuam patriæ dabis

Superisque dextram? Fatáne incassum excidēt?
Mendax feretur Numen? Aude aliquid Deo
Authore dignum, nulla quod sileat dies:
Sexumque supera. Quid? necc infanda hospitis
Sacrata violes iura? rescindas prior
Cum Rege pactum fœdus? Ah! facinus
preme.
Ergo ille abibit viuus? hanc manibus sinam
Effugere prædam? gentis hic nostræ lues,
Et hostium ingens columen, & belli caput,
Impune nostros dederit in casses pedem?
Sed vltum abunde Numen. Est pœna satis
Fugisse Sisaram: fractus, afflictus, pauens,
Supplexque nostris credidit tectis caput.
Hic cuius armis inclytum cesit genus.
Quaque adita Tribubus terra bis senis pater.
Cis fluuium & vltra: Marte pro Superi! ia-
cet
Perculsus vno. Parta iam patriæ vltio est,
Concede vitam. Cur malis prohibes frui:
Adimisque morte, mille cur mortes velit?
Sed bella verear. Regeret acceptam illico
Cladem, & furori fræna laxabit dolor;
Pudorque stimulos addet. Vt rigidos aper
Traiectus armos frendet, & pauidum truci
Per tela præceps dente venantem petit.
Accingere animo: forsan hoc magno velis
Olim redemptum. Quid quod hoc ipsum sat est

Vnde ille pœnam expendat, & ferrum imbuat,
Quod fecit, & quod voluit? An, si fors daret
Illi, occidissem? nusquam ego infelix forem:
Nusquam Israelis nomen? huic, quoniam licet,
Non paria referam? non meos, non me impetu
Vlciscar vno? Cætera vt cessent, age,
Linques inultum Numen? Ille, ille imperat,
Hoc qui futurum cecinit. An non hoc rear
Cecinisse? Quid nunc maius extincto potes
Astruere Sisara? Funus extremum impius
Per me hostis habeat: sæua prærepto cadent
Duce bella. Eatur. Fata decretum est sequi.
Quanã exequemur? Quod genus lethi placet?
Virusne dapibus misceam? an laqueo premam?
Inuade facinus sola. Fœmineos Sisar
Iterum triumphos decoret. Inueni viam.
Prouiso rerum quid agat, & teli genus
Scrutabor omne. Cho. Video quô vergat furor.
Mactare Sisaram statuit. Atq; vtinam Barac
Fortisve adesset Debora! Tam læta edere
Indicia gestit animus. O quantum ferat
Vox illa pretij! Sed gradu attonito redit;
Ceu cum furentem pectore excepit Deum,
Insana rapitur Mænas. Hic quorsum tudes
Clauusque? quid molitur?

Iahel.

Excussi omnia:
Nihil repertum est; præstet hic teli vicem,

Capitique adactus, quâ necis præsens via est,
Et mollis aditus, tempus affigat solo
Vtrunque: captu facilis, atque arcto iacet
Somno sepultus. Aperit insidiis viam
Fortuna. Iamiam inuade. Proflantem audio
Toto soporem pectore. Extremum miser
Cum morte somnum iungat. Expaui, horrui:
Quô feror? Adire timeo: cor pauidum labat.
Rursum ardet ira: fortis incœptum manus
